INSTITUTIONES
THEOLOGIAE DOGMATICAE,
In duos Tomos distributae.

OPUS POSTUMUM

NICOLAI CAPASSI

In Regio Archigymnasio Neapolitano
olim Juris Civilis Antecessoris.

NEAPOLI MDCCLIV.
Ex Regia Typographia Seraphini Porsile.
Expensis Marci Laurentii.
Annuentibus Superioribus.

Viro Eccellentiss.

OCTAVIO ANTONIO

BAYARDI,

PATRICIO ROMANO,

Utriusque Signaturae Referendario,
Protonotario Apostolico &c. &c.

MARCUS DE LAURENTIIS,

QUum primum in animum mihi induxi *Elementa Theologiae Dogmaticae Cl. Viri Nicolai Capassi*, quae hacte-

nus MSS. circumferebantur, pervulgare, a me ipse impetrare non potui, quin ea Tibi, vir Excellentissime, offerrem. Optabam saltem hoc modo, obsequentissimi erga Te animi mei signum aliquod dare . . . quidem, quum non uno nomine Tibi sim obstrictus; officio plane meo deesse viderer, si quacunque occasione data, Te non celebrarem; simulque non ostenderem, me tantorum beneficiorum, saltem esse memorem. Quae quum ita sint, quid quaeso, optabilius mihi contingere poterat, quàm Elementa isthaec, alioquin egregia, celeberrimo nomine Tuo, ornatiora rei Theologicae Tironibus offerre? Sed quanquam ea ratio me quam maxime impulerit, ut isthaec Elementa tuo nomine inscriberem; idem tamen omnino eram facturus, etiamsi

vel

vel ea defuiſſet . Quum enim ab antiquis temporibus mos invaluerit , ut ingenii monumenta alicui viro optimo nuncuparentur , Cujus nomine, & auctoritate , veluti quodam Clypeo territi obtrectatores , ad dicteria minus eſſent proclives ; cui potius , quàm Tibi iſtud opuſculum deſtinarem , vidi neminem . Etenim praeterquam quod generis nobilitate longe fulges ; maximam Tibi gloriam comparaſti , dum nullis laboribus parcens , in omni ſtudiorum genere ingenium tuum, alioquin perſpicaciſſimum , exercuiſti . Quapropter, quae tua maxima laus eſt , non immerito potentiſſimus Rex noſter, parem te judicavit ad onus , cui ſupportando , vix multi, iique Litterariae Reipublicae viri Principes , pares fuiſſent.

Provinciam, nempe duriſſimam, illuſtrandorum monumentorum, quae ex Herculana Civitate, ruinis olim Veſuvii obruta, eruuntur, Tibi demandavit; cui muneri ex voto Optimi, ac Solertiſſimi Regis noſtri, te facere ſatis, nemo eſt, qui neſciat. Inde factum eſt, ut non ſolum Inviciſſimi Principis amorem promerueris; ſed etiam apud omnes, qui opus tuum Prodromum, non perfunctorie lectitarunt, auctoritati, & nomini tuo, quam maxime deferatur. Haud ignota loquor. Interim; quoniam nihil magis, quam a laudibus abhorres, in Majorum Tuorum egregia facinora, & ceteras animi Tui dotes, ſciens, prudenſque non excurram. Quanquam ſi vellem, brevis Epiſtola non pateretur; adeo ſunt multa,

quae

quae possem de Te dicere. Hoc unum tantum addo, quod si reviviſceret auctor noster clarissimus, Consilium meum, de commendandis Tibi hisce Institutionibus, pro certo fuisset probaturus; tantum abest, ut sale ipsi consueto, me ipsum perfricaret, quod homini minus digno, tantum tribuerim. Igitur, ne Te amplius morer, & a severioribus curis distraham, ea quà soles benignitate, Opusculum hoc accipe, vir doctissime, & in eo summae, ac perennis meae, erga Te observantiae pignus certissimum habe. Vale.

LECTORI THEOLOGO

TYPOGRAPHUS.

JAM prope ab eo tempore, quo e vivis excessit Nicolaus Capassus, vir inter Neapolitanos & ingenii acumine, & eruditione celeberrimus, non defuerunt, qui ipsius lucubrationes avidius inquirentes, brevi ad eas expetendas permultos excitarunt. Et forsan non immerito. Adeò enim felici ingenio erat Capassus, ut quidquid scriberet nescio quo lepore perfunderet: quo factum est, ut ipsius scriptis delectarentur omnes. Quum autem nihil typographicis formis unquam edendum curarit vir doctissimus, & non omnes, qui ipsius lucubrationibus uti volebant, earum exemplaria, quo ea sibi exscriberent, poterant adipisci; optimum factu judicatum fuit, si, saltem celebriora Capassi MSS. in tironum gratiam typis mandarentur. Quod quum ego intelligerem huic voto pro virili satisfacere sum adgressus, in publicum emittendo Institutiones Theologicas, quibus aditum ad profundiora Theologiae studia tironibus Auctor noster

munie-

muniebat. Has autem Institutiones semper permagni fecerunt homines in rebus Theologicis attriti, maxime ii, qui in ea sunt opinione ad haec usque tempora nullum plane fuisse, qui in tironum gratiam Theologiam in artem redigendo, hujus pulcherrimae, & vero etiam necessariae Disciplinae exacta κρυσει, & apta methodo elementa tradiderit. Horum namque judicio quamquam Capassi Institutiones Theologicae *non habeantur tanquam opus omnibus numeris absolutum; sunt tamen ita digestae & concinnatae, ut forsan caeteris Theologiae Compendiis, quae unquam prodierunt, saltem methodo, & rerum delectu praeferri valeant.*

Quod autem Eruditorum judicio nec usquequaque perfectae sint Capassi Institutiones Theologicae, *non eo trahendum quasi vir doctus in ea Disciplina minus valuerit, ut conscribere Institutiones onus fuisset impar ejus humeris; sed inde hoc factum opinantur optimi quique, quod Capassus illas non ea mente scripserit, ut typis ederentur, sed ut privato Auditorum suorum commodo deservirent. Quicunque enim sic erudiunt Auditores suos, ut prius exscribendarum praelectionum eis copiam*

piam

piam faciant, coguntur saepe justas scribendi regulas insuperhabere. Nam angustiis temporis coacti, non semper ea, qua par est, diligentia omnia possunt pertractare, & quandoque ut aliquid detrahant, necesse est. Quod si unquam Capassus serio cogitasset in publicum emittere lucubrationes suas, tantum abest, ut in hisce Institutionibus naevos aliquos deprehenderent viri cordatiores, ut potius opus absolutissimum admirarentur.

Sed haec te admonere, Amice lector, fortassis abstinere potuissem. Illud autem potiore jure a me scire tua interest, num scilicet correcto exemplari in hac editione usus sim, quo securus esse possis, me tibi Capassi Institutiones nullibi interpolatas, corruptas, deformatas offere. Forte enim dicis, te minime latere quam parum cauti sint adolescentes in exscribendis praelectionibus, dum ex ore praeceptoris oscitanter eas excipiunt; ut proinde, si hanc editionem descripserim ex deformato alicujus juvenis exemplari, necesse sit, corruptas merces pro sinceris venditare. Sed quo ex hac parte tibi satisfaciam, velim scias, me nullis curis, laboribus, & vero etiam impendiis pepercisse, quo tibi non in-

interpolatam Capaſſi dictionem offerrem: nec enim adeo perfrictae frontis eram, ut in re clara, & in qua nullo negotio fictiones detegebantur, accuratis hominibus imponerem. Quapropter postquam magno aere correctiſſimum exemplar mihi comparavi, hominum accuratiſſimorum diligentiam ſtipulatus ſum, ut hoc exemplar cum aliis conferendo, naevi, ſi qui reliqui eſſent, abſtergerentur omnes. Quae quum ſint non video quid amplius, ut genuinam Capaſſi dictionem adſequerer, experiri debuiſſem.

Quoniam vero breviores ſunt hae Inſtitutiones, quam ut integram Rerum Sacrarum ſcentiam complectantur; ecquid cauſſae fuerit, quaeris, cur minime curaverim, ut ſaltem additis hinc inde auctariis, pleniores redderentur? Et hoc ipſum mihi in mentem venerat: verum ſatius duxi nihil addere, quam ut editio amplius differretur: quod certe eveniret, etiamſi ſpartam hanc exornandam vir quantuslibet doctus, & in rebus theologicis attritus, ſuſcepiſſet. Interim hiſce fruere, Amice lector, & alterum tomum brevi proditurum exſpecta. Vale.

EMI-

EMINENTIS. SIGNORE.

Serafino Porsile publico stampatore supplicando espone a V. E., che desidera stampare un' opera intitolata *Theologia Dogmatica Autore D. Nicolao Capasso hujus Universitatis Neapolitanae olim primario antecessore*. Supplica per tanto l'E. V. a commettere la revisione a chi stimerà a proposito, ut Deus.

Ill. Dom. Canonicus D. Joseph Sparano S. D. P. U. J. D. Curiae Archiepiscopalis Examinator Synodalis revideat, & referat. Datum Neapoli hac die 23. mensis Julii 1753.

C. EPISCOPUS CAJACEN. VIC. GEN.
JULIUS NICOLAUS EP. ARCAD. CAN. DEP.

IN lucem prodire postulant posthumae Cl. viri *Nicolai Capassi Theologiae Dogmaticae Institutiones*, quas Autor numquam, suppresso velut fetu, publici juris faciendas sivit. Eas namque privatim instituendis ephebis tradere In more habuit, typis autem mandandi nulla umquam ei mens fuit: Sed tanta est in eis Eminentiss. Princeps, sane doctrinae, & polemici instituti ratio, ut sive sacrae Scripturae dignitas, sive Patrum auctoritas, sive demum Heterodoxorum confutatio spectetur, cuncta sane etiam venusto, elegantique latinitatis sermone conscripta, aequo jure lucem promereri senserim. Quapropter quum non modo nihil orthodoxiae adversum continere, verum etiam Religionem fovere, haeresim pessundare, Christianaeque literariae reipublicae commodo consulgere videantur, si meo judicio tua accesserit authoritas, quam primum edendas censeo, Datum Neap. Kalendis Decembr. CIↃIↃCCLIII.

E. V. *Addictiss. Divinctiss. Cliens*
Joseph Canonicus Sparanus.

Attenta relatione Domini Revisoris Imprimatur. Datum Neapoli die 1. mensis Martii 1754.

C. EPISCOPUS CAJACEN. VIC. GEN. DEP.
JULIUS NICOLAUS EP. ARCAD. CAN. DEP.
S.R.M.

S. R. M.

S I G.

SErafino Porsile Regio Stampatore espone alla M. V., qualmente desidera dare alle Sampe la *Teologia Dogmatica del fu D. Nicolò Capasso*: Supplica per tanto la M. V. degnarsi commetterne la revisione a chi meglio stimerà, e l'avrà a grazia ut Deus &c.

Admodum Rev. P. Magister F. Thomas Cherubinus Pellegrino in hac Regia Studiorum Universitate Professor in Cathedra Textus Sancti Thomae revideat, & in scriptis referat. Neap. Die 6. mensis Augusti 1753.

NICOLAUS EPIS. PUT. C. M.

TUllio teste, verba ponderanda sunt, non numeranda. Auctor [qui dum viveret magnum sibi peperit nomen] paucis verbis, iisque gravissimis Theologicam messem complexus est, ne rerum copia discipulorum suorum mentem oneraret. Aequum est ut hisce postumis lucubrationibus, Regiis juribus non adversis, ejus memoria apud posteros perennet. Neapoli, ex aedibus S. Dominici Majoris pridie Calendas Januarii, aerae Dionysianae anno 1753.

Fr. Thomas Cherubinus Pellegrino
Ord. Praedic. S. Theolog. M. & Reg. Professor.

Die

Die 11. *mensis Februarii* 1754. *Neap.*

Viso Rescripto Suae Regalis Majestatis sub die 9. *currentis mensis, & anni, ac relatione Rev. P. F. Thomae Cherubini Pellegrino de Commissione Rev. Cappellani Majoris, ordine Praefatae Regalis Majestatis.*

Regalis Camera Sanctae Clarae providet, decernit, atque mandat, quod imprimatur cum inserta forma praesentis supplicis libelli, ac approbationis dicti Rev. Revisoris, verum in publicatione servetur Regia Pragmatica. Hoc suum

CASTAGNOLA. GAETA.
FRAGGIANNI. PORCINARI.

Reg. fol. 55. *a ter.*
Carulli.

Athanasius.

INSTITUTIONES THEOLOGIAE CONTROVERSAE

ADVERSUS Romani Nominis Hostes

PROOEMIUM.

Inter maxima hominum mala, quae ex primi Parentis lapsu vulnerata Natura, veluti saniem quamdam contagiosam, in ceteros derivavit; duo illa omnibus graviora, non immeritò videri debent, summa mentis caligo, sivè perpetua rerum omnium ignorantia, & effraenis cupiditas cuncta sine modo sciendi, ex quibus primùm ingenii praecipitantia, & caeca judicandi temeritas: deindè error, atque haeresis defluxère: unde Christianorum Religio, & olim quidem atrocibus dis-

fidiis conflictata, & tunc praecipuè nefariis factionibus saeviissimè dilaceratur. Scilicet tot erupere ex Orci tenebris nostra tempestate Nerones, qui Romanam Ecclesiam, Christi Sponsam, Fidelium Matrem vano impetu appetentes, quum veteres cicatrices recentatis erroribus rumpere, tùm novas insanias, & opinionum monstra effundentes, longè jactis telis, sed imbecillius, & sine ictu, eam confodere, & prosternere, si tantum impietas posset, per summum scelus audacissimè sunt moliti. Ut autem Tartareae istius Hydrae vim omnem, & conatum, sub invicto Romanae Fidei scuto militantes solidè, ac penitùs retundamus, depellamusque, quod hisce Institutionibus cum bono Deo nos praestituros, quà fieri poterit brevitate, speramus: maximoperè juvabit ea proximè animadvertisse, quae omnium haereseon scatebra, & origo esse feruntur; ita enim non tantum errores à nobis arcebimus, sed etiam intellectâ errandi causa, ipsam deceptionis radicem evellemus. Nam quum errare homini semper turpe sit, tunc tamen vehementer timendum, quum non solum turpe, verum etiam exitiale est, ut in re credenda contingit: leviter enim peccat, qui errando aliis ridendum se praebet; at lapsus in fide, non hominum risu, vel admiratione, sed Dei ira, ultioneque, non fluxo, & mortali, sed aeterno, & immutabili judicio, punitur. Si ita est, nec usquam periculosiùs erratur, quam in Religione: ut omnis procul sit Theologiae Candidatis errandi occasio; ad sequentia postulata animum adiicite.

Postuletur primò Animus docilis, cupidusque

ea

ea discendi, quae ad Fidem pertinent, Sacrarum Scripturarum non usquequaque ignarus. Sacrarum enim Literarum inscitia, non tantum in Sacerdotibus, in quibus, ut ait Leo Magnus epistola XXIII., nec excusatione digna est, nec venia: *sed in omnibus omninò Fidelibus detestanda nimis est; nulla enim est secta, quae non sui fundamenta in Codice aliquo descripta, jubeat à suis legi. Sic Rabbini docent, teneri unumquemque Pentateuchi exemplar penès se habere: paria de Alkorano Turcae; soli Christiani (indignum) magna ex parte Sacrorum lectionem despicatui habent: unde Hieronymus prooemio in Isaiam scripsit: Si juxtà Apostolum Paulum* Christus Dei virtus est, Deique sapientia, & qui nescit scripturas, nescit Dei virtutem, ejusque Sapientiam, ignoratio Scripturarum, ignoratio Christi est; *Et Sanctus Gregorius in Pastorali part.* 1. *cap.* 1. Qui ea, quae Dei sunt sapiunt, à Domino sapiuntur, & qui ea, quae Dei sunt nesciunt, à Deo nesciuntur, *Paulo attestante*, si quis ignorat, ignorabitur. I. *ad Corinthios* 14.

II. *Postuletur Animus omnibus Philosophiae praejudiciis vacuus, quum primis verò Aristotelis, cujus Dialecticam Tertullianus in lib. de Praescriptionibus cap.* 7., *vocat artem disputandi aptiorem, diruendae, quam stabiliendae veritati, de qua loquitur Apostolus ad Colossenses II. illis verbis*. Videte, ne quis vos decipiat per philosophiam, & inanem fallaciam secundum traditionem hominum, secundum elementa Mundi, & non secundum Christum. *Et S. Ambrosius lib.* 1. *de Fide cap.* 5. *ait:*

Non in Dialectica placuit Deo salvum facere populum suum, Regnum enim Dei in simplicitate Fidei est, non in contentione sermonis.

Quod autem de uno Aristotele dixi, idem de aliis dico. Omnis Philosophia adversatur Religioni, neque ullus fuit haereticus, qui non alicui Philosophorum sectae errores suos debeat. Origenes, & Valentinus Platonicae: Marcion Stoicae: Aëtius, Eunomius Peripateticae, ut narrat Epiphanius haeresi 76., e cujus etiam faucibus virus suum hausit Berengarius, quod in Sacratissimam Eucharistiam evomuit, ut historiae testantur. Jure igitur Theologus Nazianzenus oratione VII. conqueritur; Pyrrhonis instantias, Chrysippi Syllogismos, Aristotelis pravum artificium, & facundiae Platonis praestigia male in nostram Ecclesiam irrepsisse, tamquam Aegyptia quaedam flagella. *Sed his non amplius immoror, ut quae ab aliis latè exagitata sunt.*

III. *Postuletur animus non tumidus, & ampullosus, non contumax; & refractarius, quique velit sapere plusquam oportet contra monitum Pauli ad Romanos XII. In omnibus profectò modus est servandus; ac praeter omnia in Divinis, in quibus veritas investigari non potest, & periculosa est conjectura. Passim verò Sancti Patres de hac re differentes utuntur exemplo ignis, & Solis*, ut qui calefit, *inquit Hesychius lib. II. in Leviticum cap. 6.* non propius ad ignem accedit, ita qui de Deo disputat. *S. Basilius homilia 29. ait*: Scire debemus, & quae dicenda, & quae tacenda sunt, non omnia lingua proferenda, ne mens, velut oculus

lus totum Solem intueri volens, lumen etiam illud, quod jam habuit, amittat. *Hinc prudenter S. Augustinus monet in Enchiridio cap.* 17. sunt quaedam quae nescire, quam scire, sit melius. *Quod idem elegantissimis verbis expressit S. Prosper in carmine de Ingratis.*

Multa etenim benè tecta latent, nescitaque prosunt,
Dum mansueta Fides quaedam dilata modestè
Sustinet, & nullo ignorat non edita damno.

Tandem esto Animus Theologi aequus, candidus, non durus, non difficilis: Catholicae enim veritatis non ea est causa, ut possit geometricis rationibus demonstrari: sed quisque contentus esse debeat, si in captivitatem redigat omnem intellectum in obsequium Christi. Si enim in Physicis, verbi causa, in quibus nulla jactura est, argumentis quibusdam vix probabilibus, absque ulla dubitatione, vel tergiversatione acquiescimus; cur in rebus Fidei, unde salus aeterna pendet, vel nunquam desitura calamitas, non summam adhibeamus fidem? ignorat Mercator an, & ubi sit India, soli tantum homini dicto fidens.

. . . . navem mercibus implet
Ad summum latus, & tabula distinguitur unda.

Quum igitur caput suum tot periculis obje-

ctent homines spe temporalis lucri, secuti hominis fidem, qui mendax est; cur ubi de perpetua felicitate agitur non aures commodent Verbo Dei, qui veritas est? Oportet itaque in re maximi momenti, & unicè necessaria, in qua persuasio tutissima est, haesitatio summum habet discrimen, & extremam perniciem, aequo animo se gerere, non quaerere in scirpo nodum, sed intellectum captivum dedere in obsequium Religionis, *ut inculcat Apostolus.*

LIBER

LIBER PRIMUS
PARASCEVASTICUS
DE TOPICIS THEOLOGICIS.

Topica dicuntur loci, seu fontes, unde argumenta desumuntur, ut Rhetoribus, & Dialecticis exploratum est. Oportet autem, priusquam cum hostibus Catholicae Fidei congrediamur, ut statuatur, quonam armorum genere utendum sit, ne puerorum more, paleis pugnare videamur, neve possint adversarii ictum deludere, sed eum sustinere cogantur.

Et loci quidem Theologici apud Scholasticos multiplices sunt, Scriptura Sacra, Traditio, Concilia, Judicium Romani Pontificis, Ecclesiae Catholicae consensus, Auctoritas Patrum, Auctoritas Scholasticorum, Historiae, & humana Ratio, utquumque tamen ipsi inter se definiant. Quod attinet ad rem nostram, quum non omnes hi loci eandem vim habeant, nec idem pondus, imò in magnam partem sunt controversi; idcirco ne quid nobis sumere videamur, quod Sectarii exsibilent, ut neque probatum, neque contestatum; dicimus duos esse locos, quos ipsi vel inviti admittere coguntur, Scripturas scilicet Canonicas, & Consensum totius Ecclesiae, quod nos Traditionem appellamus. An autem consensus iste satis probetur per auctoritatem Concilio-

rum, Sanctorum Patrum, & Summi Pontificis, hoc in controversia est positum, & suo loco disputaturi sumus. De singulis autem est in specie agendum.

CAPUT PRIMUM.

De Sacris Scripturis.

SAcrae Scripturae duabus partibus continentur, Vetere, & Novo Testamento. Quum enim universum eorum argumentum sit lapsus hominis, ejusque reparatio per Messiam; qua parte Messias, sivè Christus à Deo promittitur, & Judaeis venturus significatur, creditur, expectatur, dicitur Vetus Testamentum; quâ verò nunciatur ejus adventus, lexque sanctior praedicatur, Novum dicitur. Ita Paulus ad Galatas IV. scriptum est enim: *Quoniam Abraham duos filios habuit unum de ancilla, & unum de libera, quae sunt per allegoriam dicta*: Haec sunt enim duo Testamenta.

Quoad vetus Testamentum, supervacaneum puto hic impugnare haeresim Marcionis, Manichaeorum, & Albigensium, qui dicebant, eos libros à quodam malo Deo dictatos; esset enim hoc cum umbris confligtari: quum jamdudùm exoleverit hoc monstrum erroris, quo nihil stupidius. Quo enim pacto potest quis admittere Novum, respuere Vetus Testamentum? quum in illo sint quamplurima, & praeclarissima hujus testimonia, ut ex allato Apostoli loco, & aliis ejusdem liquet, & Christus idem ait Lucæ ultimo

timo versu 44. *Necesse est impleri omnia, quae scripta sunt in lege Moysi, & Prophetis, & Psalmis de me.*

Haec autem ultima verba confirmant, divisionem illlam ab Hebraeis factam, Librorum Veteris Testamenti, in Legem, Prophetas, & Hagiographos. Legis nomine intelligitur Pentateuchus, seu quinque illa volumina, Genesis, Exodus, Leviticus, Numeri, & Deuteronomium. Prophetarum libri dicuntur Josue, libri Judicum, Ruth, Regum, Isajae, Jeremiae, Ezechielis, & duodecim Prophetarum minorum. Hagiographi sunt liber Job, Psalmi, Proverbia Ecclesiastes, Cantica, Daniel, Paralipomena, Esdras, & Esther. Quamquam non omnes, qui in Canone Ecclesiae recensentur, admissi fuerunt in Canone Hebraeorum, ut Sapientia, Ecclesiasticus, Tobias, Judith, Machabaici, de quibus opportunius infrà.

Nomine autem Canonis intelligimus Collectionem, seù cathalogum sacrorum Librorum, ut olim in Ecclesia Canon appellabatur Charta illa, in qua Clericorum nomina descripta erant, ut notat Albaspinaeus in Canon. II. Concilii Antiocheni. Hebraici autem Canonis auctor, fertur Esdras, qui libros sacros in unum corpus redegit, atque ordinavit, ut tradunt Tertullianus lib. de habitu Mulierum, Clemens Alexandrinus lib. I. Stromatum, Irenaeus, & alii. Falsum tamen puto, quod quidam docent, ab Esdra, absque ullius exemplaris ope, solâ inspiratione Divinâ dictatos fuisse omnes libros sacros quinque viris, qui per quadraginta dies eos, celeritate admirabili

bili, omnes exaraverunt, postquam in captivitate Babylonica, devastata Urbe, incensoque Templo, cuncti perierant Codices.

Falsum inquam: neque enim omnia exemplaria in Templo erant, quum à Chaldaeis combustum est, neque credibile est, nulla privata exemplaria servata fuisse, saltem à piis viris, Ezechiele, Daniele, Jeremia, vel ab ipso Esdra, aut à Levitis, quibus lex Dei cordi erat. Hoc igitur sensu dicendus est Esdras auctor Canonis Judaeorum, quod quum esset scriba doctus, collatis inter se pluribus exemplaribus, emendavit textum ab erroribus, qui per imperitiam, vel per oscitantiam Scribarum in eum irrepserant: Librosque sacros ordine digessit, quo reperiuntur. Et licèt priorem sententiam suadeat caput decimum quartum in fine libri IV. Esdrae, nemo tamen ignorat, eum librum cum praecedente, ab Ecclesia non recipi, ut Canonicos.

Quoniam verò plures è recentioribus Heterodoxis conati sunt, quorundam è Libris Sacris genuitatem, & veracitatem oppugnare, ut auctor systematis Praeadamitici, Thomas Hobes Anglus, & omnium pessimus, Benedictus Spinoza in suo tractatu Theologico politico, quibus praeivit Aben Ezra Judaeus; opere pretium est, Catholicam sententiam adstruere, & hostium argumenta refellere, initio sumpto è libris Moysis.

PRO-

PROPOSITIO PRIMA.

Libri Pentateuchi veraces sunt, & Divini, ab ipso Moyse descripti.

Probatur prima pars, quod sint Divini, quo illud simul evincitur esse veraces: quod enim est à Deo mendax esse nequit. Primò illa historia est verax, quae confirmata est veris miraculis: hujusmodi autem est Pantateuchus: si negas, jam statuendum est, Moysen fuisse impostorem, quod esse incredibile, haec suadent argumenta. Primum: miracula Moysis non erant, obnoxia illusioni, ut est mors repentina omnium Primogenitorum Aegypti, divisio Maris rubri, productio Ranarum, quae invaserant omnium AEgyptiorum domos, & locustarum, quae depopulatae sunt eorundem agros, Columnam igneam noctu praelucere ambulantibus, dehiscere terram, & viventes absorbere homines, &c.; ex quibus consuevit Moyses argumentum sumere Concionum, quas ad Judaeos habuit, ut scilicet ipsos testes oculatos, potentia Dei ad ejus cultum hortaretur.

Quod si dicas, etiam Magos Pharaonis prodigia patrasse: contra est, quod, ea tantùm fecerunt, quae ex viribus naturae fieri poterant per occultas artes, & Magiam, quae apud AEgyptios florebat. Unde quum Aaron jussu Dei, virgâ percussisset pulverem, qui versus est in Sciniphes, tentaverunt Malefici idem facere incantationibus, nec potuere: unde coacti sunt confiteri Phara-

Pharaoni: *Digitus Dei est hic*, ut habetur Exodi VIII. versu 19.; Adde, quod si omnia portenta Moysis, Magi aequè patrare potuissent, nulla ratio adducere debuit Judaeos, ut Moysi potius, quam illis crederent, & cum summo vitae periculo mandatum Regis spernerent.

Praeterea difficile est imponere multitudini, in qua sunt prudentes homines, & sagaces: difficile: per longam annorum seriem: tempus enim, ut experientià constat, omnes dolos, & fallacias detegit. Difficile id fieri ab homine severo, & relatore, qui Hebraeis, non solum non adularetur, nec indulgeret quidquam, quales esse impostores solent; sed ipsis passim exprobaretur ingrati animi vitium, incredulitatem, blasphemias, seditiones, idololatrias; imò uno die eorum ferè viginti tria millia delevit. Exodi XXXII.

II. Probatur. Quum omnis prophetica facultas à Deo sit, & ipsi Gentiles concedunt, qui Vates futurorum praescios, Divinos vocant. Horatius III. Carminum, ode XXIX.

Prudens futuri temporis exitum
Caliginosà nocte premit Deus.

sequitur eos libros esse Divinos, ubi sunt plures Prophetiae opere completae: tales autem sunt libri Moysis, ut Genesis XLIX praedixit Jacob Regnum in Tribu Judae. Christi verò per multae sunt praedictiones, tùm in verbis, tùm in rerum figuris. Est enim Prophetia duplex, per verba scilicet, & per signa, ut notant Hieronymus in caput XIX. Jeremiae, & Gregorius Magnus homilia 31. in Evangelia: omnia autem in figura con-

contingebant Judaeis, ut ostendit Apostolus. Sed hoc argumentum, quum latissimè pateat, & à nonnullis Sancti Patribus luculenter tractatum sit, ut ab Origene lib. IV. Periarchon cap. 1., Augustino XII. de Civitate cap. 10., & aliis, illud persequi è re nostra non erit; quare vos ablego ad Petrum Danielem Huetium in demonstratione Evangelica proposit. VI. §. 7.

Secunda pars probatur, quod scilicet genuini sint, & ab ipso Moyse scripti. Ille dicitur genuinus liber, qui consensu omnium gentium illi auctori tributus est, cujus nomen praesefert. Neque enim alia ratione scimus libros de Oratore à Cicerone esse compositos, Aeneidem esse opus Virgilii. Omnis autem aetas credidit, Pentateuchum à Moyse scriptum fuisse; ita enim Judaei Moysis coaetanei successoribus tradidere, eaque traditio constanter in Synagoga perseveravit, ex qua eam accepit Ecclesia Christi à suis incunabulis, unde & nos in eadem fide manemus. Hos etiam libros, ut Moysis partum agnovere Gentiles, Nicolaus Damascenus Augusti familiaris in historia universali, Dionysius Longinus, Porphyrius, aliique innumeri, quos videre est apud citatum Huetium proposit. IV. cap. 2.: unde Juvenalis Satyra XIV.

Judaicum ediscunt, & servant, ac metuunt Jus,
Tradidit arcano quodquumque volumine Moses.

Praeterea ex probatis, libri Pentateuchi veraces sunt, & Divini: sed in ipsis traditur Moyses eorum auctor. Exodi XXIV. 4. *scripsit autem Moyses universos sermones Domini*, & vers. 7. Assu-

Assumensque volumen Foederis, legit audiente populo, & cap. XXXIV. 27. ait Dominus Moysi: *scribe tibi verba haec, quibus & tecum, & cum Israel pepigi foedus*. Deuteronom. XXXI. 9. *scripsit itaque Moyses legem hanc, & tradidit eam Sacerdotibus filiis Levi, qui portabant Arcam foederis Domini, & cunctis senioribus Israel*.

Neque dicas, ex hoc loco inferri, potius alium esse Scriptorem à Moyse, quum narret res ab eo gestas: nam plures occurrunt loci similes, in quibus de se Moyses loquitur, velut alia persona, ut facit Caesar in Commentariis, Dares Phrygius in excidio Trojano, aliique.

Discutienda nunc sunt adversariorum argumenta. Primò opponunt textum Genesis cap. XII. 6. *Pertransivit Abraham terram Chananaeam, usque ad locum Sichem, usque ad convallem Illustrem, Chananaeus autem tunc erat in terra*. Igitur haec à Moyse scripta non sunt: nam tempore Moysis Chananaei, patriis finibus depulsi non erant: qui autem haec scribit indicat, sua aetate Chananaeos in terra non fuisse.

Respondeo, hunc esse loci allegati sensum: jam tùm quum Abraham venit in terram Chananitidem, Chananaeos invasisse ejus terrae fines: quum enim Moyses posteris scriberet temporum ignaris, significare voluit, Abraham venisse Dei jussu de Ur Chaldeorum in terram à Chananaeis jam occupatam. Quae responsio ab ipso Aben Ezra admittitur, qui argumentum proposuit.

Secundo opponunt Deuteronomii III. 11. illa verba: *Solus quippe Og Rex Basan restiterat de stirpe Gigantum; monstratur lectus*

ejus

ejus ferreus, qui est in Rabbath filiorum Ammon, novem cubitos habens longitudinis, & quatuor latitudinis ad mensuram cubiti virilis manus. Est igitur hic scriptor recentior Moyse. Quorsum enim Moyses Israelitis probasset proceritatem ejus Gigantis ex amplitudine lecti ferrei, quando illum jam viderant pugnantem, caesum, & humi jacentem? aut quamobrem, nisi ex temporis vetustate, quod omnia mutat, lectus ille non visebatur in Basan sed in Rabbatha?

Respondeo, quod licet magna Hebraeorum pars Gigantem videre potuerit, non tamen omnes ei spectaculo interfuerunt, pueri, senes, feminæ, aegroti, absentes. Praeterea Moyses non tantum Hebraeis historiam scripsit, qui suâ aetate vivebant, sed etiam venturis, quibus, ut persuasum iret, quanta esset illius Gigantis moles, lecti mentionem fecit. Ceterum quod hic lectus non conspiceretur in Basan, sed in Rabbatha urbe Ammonitarum, non est certum longaevitatis argumentum; potuit enim oppugnaturus cum Israelitis, & eventum reformidans, suppellectilem suam in tuto deponere apud Ammonitas, quos sciebat non esse Judaeorum armis lacessendos; vel potuit Moyses victor, partem Regionis Basan Ammonitis vendere, atque ita lectus ille ferreus ad eos pervenire.

Tertio. Opponitur Deuteronomii III. 14. *Jair filius Manasse possedit omnem regionem Argob usque ad terminus Gessuri, & Machati. Vocavitque ex nomine suo Basan Havoth Jair, idest, Villas Jair, usque in praesentem diem*. Ex quibus postremis verbis colligitur, ea fuisse scripta diù post mortem Moysis. Respon-

Respondeo, nos non negare, quin Esdras in Scripturarum instauratione aliquid de suo addiderit, ubi locus occurreret obscurus; vel difficilis. Credibile etiam est librum, quo nullus plura habuit exemplaria, multis fuisse notis a doctis viris illustratum; quid igitur mirum, si glossema aliquod ex margine in textum irrepsit? Sic Matthaeus non multo post mortem Christi Evangelium scripsit, & ita loquitur ca. XXVII 8. *Propter hoc vocatus est ager ille Haceldama, hoc est ager Sanguinis usque in hodiernum diem*.

Hujus generis est, quod obiici solet ex Genesis XIV., ubi dicitur, Abraham persecutum fuisse hostes loci usque Dan, quum tamen urbs illa diceretur Lais, nec nisi post aevum Abrahami, & Moysis etiam caeperit Dan vocari, ut patet ex cap. XVIII. Judicum: nisi mavis dicere cum Huetio, Dan in eo textu non esse nomen Urbis, sed Fontis, quod nomen antiquius urbe fuit, ut enim censet Hieronymus, flumen Jordanis appellatum est à duobus fontibus Jor, & Dan confluentibus.

Idem dicendum de iis, quae ad calcem Deuteronomii attexta sunt de Moysis obitu, sepultura, & luctu Hebraeorum. Tum de eo, quod habetur Exodi XVI. in fine, filios Israel comedisse Manna quadraginta annis, quod etiam contingit post mortem Moysis, ut constat ex Josue cap. V., scilicet haec omnia, vel ab Esdra, vel à Synagoga magna fuisse adjecta, vel ab ipso Josue post interitum Moysis.

Quartò opponitur locus Genesis cap. XXXVI. 31. *Reges autem, qui regnaverunt in terra Edom, ante-*

antequam haberent Reges filii Israel fuerunt hi, Reges autem in Israël longè post Moysen esse ceperunt. Igitur, qui haec scripsit recentior est Moyse, quum post Reges scripsisse videatur.

Respondeo non esse dubium, quin Moyses Divino spiritu afflatus multa praenoverit; sed hoc inter alia futurum aliquando, ut Israëlitae Regem sibi praefigerent, quod liquet ex his Deuteronomii verbis cap. XVII. 14. *quum ingressus fueris terram, quam Dominus Deus dabit tibi, & possideris eam, habitaverisque in illa, & dixeris: constituam super me Regem, sicut habent omnes per circuitum nationes; eum constitues, quem Dominus Deus tuus elegerit de numero fratrum tuorum*. Idem confirmatur ex capite XII. Deuteronomii, ubi Moyses leges statuit de cultu Templi, quod tamen non dudum Chananaea terra subacta fuisset, id tamen Deo monstrante sciebat: & in cap. XXV. ejusdem libri monet Hebraeos, ut meminerint injuriarum, quas à gente Amalec acceperant, utque adepti terram promissam, deleant nomen ejus Coelo.

PROPOSITIO SECUNDA.

Reliquorum Librorum Veteris Testamenti Autoritas vindicatur.

PRoximum est, ut agamus de libro Josue, qui, ut ait S. Hieronymus ad Paulinum, fuit Imago Christi, non nomine solùm, sed etiam rebus gestis; nam quemadmodum, quae praestare non poterit Moyses Legislator, hoc est inducere

re Israëlitas in terram Sanctam; id Josue opere complevit. Ita, quae legi deerant Mosis, implevit Jesus Christus. De autore autem, & aetate hujus Libri, dubitatum est à viris doctis, etiam Orthodoxis: Nam S. Athanasius in Synopsi censet, non esse Josue hujus libri autorem, licèt ipse alium non assignet. Theodoretus quaest. XIV. in Josue ait, hunc librum excerptum fuisse ex libro Justorum, de quo est mentio in eodem libro Josue cap. X. Hugo Grotius post tempore Salomonis scriptum esse conjicit. Andreas Masius, qui doctissimos in hunc librum edidit Commentarios, putat ab ipso Esdra ex Annalibus compilatum, qui magnâ curâ in Templo asservabantur.

Hebraei verò Thalmudistae arbitrantur, ab ipso Josue conscriptum. Quae sanè opinio probabilis est, tum ex illis verbis ultimi capitis ejusdem libri: *Scripsit quoque Josue omnia verba haec in volumine legis Domini*. Videtur ergo Josue ad Moysis exemplum, rerum à se gestarum historiam contexuisse, & ad calcem libri Moysis adjecisse, uti modo extat. Confirmatur hoc testimonio Ecclesiastici cap. XLVI. ibi: *Fortis in bello Jesus Nave, successor Moysi in Prophetis*; hoc est in scriptione librorum Sacrorum, qui divinitùs inspirati sunt. Ceterum quum Ecclesia nihil de hac re definierit, praeterquam, eum esse Sacrum, & in Canone receptum, ideò à longiore contentione abstinendum censeo.

Liber Judicum continet variam Judaeorum fortunam per annos 316. sub Ducibus, quibus summa fuit rerum gerendarum potestas, quosque Judi-

Judices appellarunt, Hebraice *Sophetim*, unde fortasse *Suffetes* dicti Summi Paenorum Magistratus (affinitatem quippe utriusque linguae, Hebraicae scilicet, & Punicae jam pridem docti viri indicarunt ad Paenulum Plauti). Inter Judices autem militari virtute fulserunt Gedeon, Samson, & Jephte.

Quis nam verò fuit hujus libri scriptor non constat. Isidorus VI. Originum 2., & Thalmudistae putant, esse Samuelem. Alii Scribas sacros autores fuisse tradunt. Alii ipsos Judices, quod non videtur verisimile; neque enim potuit Samson mortem suam literis consignare; neque credendus est Abimelech adeò impudens, ut interfectis septuaginta fratribus, hujus immanissimi sceleris memoriam posteris mandare voluerit, de quo Judicum cap. IX. Praeterea ex capite II. ejusdem libri, quod est veluti totius libri summarium apparet, esse unius texturae, & ejusdem historici opus.

Quidquid tamen de Autore statuatur, liber sanè in Canone Hebraeorum semper fuit, & apud Christianos pro Sacro, & Divino habitus; eòque videtur respexisse Matthaeus cap. II. sui Evangelii in fine, quum ait: *Ut adimpleretur quod scriptum est per Prophetas: quoniam Nazaraeus vocabitur*. Hoc autem de Samsone scriptum, extat Judicum XIII. *Et erit Nazaraeus Dei ab infantia sua*.

Liber Ruth est veluti pars, & Appendix libri Judicum, imò eodem libro apud Hebraeos continetur, ut ait Origenes apud Eusebium lib. VI. historiarum c. 25., cujus rationem affert Hie-

ronymus in Prologo Galeato, quia in diebus Judicum facta ejus narratur historia; sic enim liber incipit: *In diebus unius Judicis, quando Judices praeerant, facta est fames in terra*. Narratur autem hoc libro historia Ruth Mohabitidis, quae paternâ superstitione relictâ, veri Dei cultum amplexa, domicilium fixit in Bethlehèm, ibique propinquo suo Booz nupsit, cui peperit Obed, Davidis Avum. Hujus autem narrationis, ut nomine est exploratus autor, ita omnibus contestata est autoritas.

Libros Regum ita distinguunt Hebraei, ut duos priores Samuelis appellent, duos reliquos Regum dicant. Talmudistae,ajunt,illos ab ipso Samuele, hos ab Jeremia scriptos fuisse. Quoad primum verisimile videtur, prioris libri viginti quatuor capita à Samuele scripta, in quibus res usque ad ejus mortem gestae narrantur; reliquum verò primi, ut & secundum librum, qui Davidis facta exibet, à duobus Prophetis descripta fuisse, Nathan, & Gad, qui Davidi erant à secretis, ut indicant verba illa I. Paralipomenon XXIX. *Gesta autem Davidis Regis priora, & novissima scripta sunt in libro Samuelis Videntis: & in libro Nathan Prophetae, atque in volumine Gad Videntis*. Ita sentiunt praeter Talmudistas, Diodorus Tarsensis, & Theodoretus in praefatione horum librorum, ubi ait: *Prophetae singuli, quae suis temporibus contingebant, scribere consueverunt, quamobrem primus liber Regnorum, & apud Hebraeos, & apud Syros Samuelis Prophetia nuncupatur*.

Qui horum librorum antiquitatem, & conse-

ſequentèr autoritatem labefactare ſtudent, opponunt primò locum I. Regum IX. : *Olim in Iſrael ſic loquebatur unuſquiſque* , vadens conſulere Deum : *Venite* , *& eamus ad Videntem* . *Qui enim Propheta dicitur hodie* , *vocabatur olim Videns* . Quae verba, ſcripturam hanc recentem eſſe arguunt.

Sed ,ut ſuperius notatum eſt, multa ſparſim libris ſacris pro variis temporibus fuerunt adjecta, vel declarationis gratiâ, tùm ab Esdra, tùm ab aliis, qui eos recenſerunt, qualis eſt allata clauſula *Parembolica* , & ſimiles . Sic eadem verba exponens Diodorus Tarſenſis inquit: *Ex his oſtenditur, quod quaecunque ſinguli Prophetae, ſuis acta temporibus, conſcripſerunt: haec colligentes poſteri adjecerunt iſtud, quod olim Prophetam appellabant Videntem.*

Secundo opponunt ; nec primum librum unius Autoris eſſe , utpotè quod multa contineat diſſona,& repugnantia ,ut quòd dicitur cap. XVI. veniſſe David ad Saulem intemperiis agitatum , eique carum nimis fuiſſe , factumque ejus armigerum. In ſequenti verò capite proponitur David, velut ignotus Sauli, quum enim caeſo Goliath veniſſet in aulam Regis, interrogavit eum Saul ; *de qua progenie es o adoleſcens?*

At qui livida haec eſt argumentatio , hiſtoria enim, ut cuique patet, ita ſcriptor exhibet: *Venit primò David ad Saulem ſpiritu malo vexatum , ut eum cithara oblectaret* ; *deindè quum exarderet Philiſtaeorum bellum* , *animus Saulis aliò converſus eſt, ut jam amplius citthariſta non ege-*

egeret : unde cap. XXII. 15. dicitur *tres fratres Davidis majores secutos esse Saulem in Castris, Davidem verò abiisse, ut pasceret gregem patris sui in Bethlehem*. Nòn mirum igitur, si quum postea venit ad fratres in Castra, non agnovit Davidem Saul, qui eum primum viderat furore correptus, & fortasse alitèr indutum, & ornatum.

Tertiò opponit Hobes illa capitis VII. libri I. versu 15. : *Judicabat quoque Samuel Israelem cunctis diebus vitae suae*. Qui ait, nonnisi post obitum Samuelis scribi potuerunt.

Respondeo, sensum horum verborum posse esse multiplicem: primus, quem obtrudit Hobes, quasi Samuel toto vitae suae curriculo judicaverit Israël: & hic non est idoneus: certum enim est in pueritia non judicasse. Secundus esse potest, judicasse ab obitu Heli Sacerdotis usque ad id tempus, quo haec scribebat Samuel, etiam postquam Regnum adeptus est Saul. Ita quum Saul vivum cepisset Agag Regem Amalec, contra praeceptum Domini, qui pugnare usque ad internecionem jusserat, illum Samuel in frusta concidit I. Regum XV. juxtà Prophetiam Balaami Numerorum XXIV. 20. *Principium gentium Amalec, cujus extrema perdentur*; & ita intelligitur locus Actuum Apostolorum capite XIII. 21., ubi dicitur regnasse annis quadraginta, scilicet conjunctis annis, quibus & Samuel, & Saul rexerunt Israël. Tertius sensus esse potest, *cunctis diebus vitae suae*, hoc est assiduâ curâ, nullo die vacuo, non intermisso labore. Praeter primum igitur, quem optat Anglus

glus, quivis alius eſt commodior ſenſus.

Tertium, & quartum librum Regum agnovit Chriſtus in Evangelio Lucae cap. IV. 25.. *In veritate dico vobis, multae viduae erant in diebus Eliae, &c. Et multi leproſi erant in Iſrael ſub Eliſaeo Propheta*, &c.: & Apoſtolus ad Romanos II. ad eoſdem libros reſpexit, dum ait: *An neſcitis in Elia, quid dicit Scriptura, &c.*

Paralipomenon liber unus eſt apud Judaeos; à noſtris in duos diviſus ob magnitudinem: ab illis autor fertur Esdras: noſtri dubitant. Nomen ipſum Paralipomenon, hoc eſt, *Praetermiſſorium* ſignificat: in his libris ſuppleta fuiſſe plura, quae deſiderabantur in libris ſacris, maximè verò in hiſtoria Regum Juda. De hoc, unum pro omnibus erit Hieronymi teſtimonium: *Paralipomenon liber, ideſt Inſtrumenti Veteris Epithome tantus, ac talis eſt, ut abſque illo ſi quis ſcientiam ſibi Scripturarum voluerit arrogare, ſe ipſum irrideat*.

Sequuntur libri Esdrae duo, quorum ſecundus dicitur Nehemiae. Fuit autem Nehemias de Tribu Juda, Esdrae coaetaneus, licet tredecim annos poſt reditum Esdrae in Judaeam redierit, vixit autem tempore Artaxerxis Longimani. Librum, ſibi cognominem ipſum, Nehemiam ſcripſiſſe, Interpretes conſentiunt, & res ipſa indicat: id enim eſt initium libri. *Verba Nehemiae filii Helchiae*: quomodo conſueverunt libros ſuos auſpicari ejus aevi ſcriptores, Herodotus, Thucydides, Timaeus, & alii.

Hos libros fruſtrà reiiciunt Anabaptiſtae, quum in Hebraeorum Canone recepti ſunt, & à ſeptua-

ginta Interpretibus Graecè versi. Nec obstat, quod Isidorus libro VI. Originum cap. 2. scribit, *secundum librum Esdrae apud Hebraeos non haberi, sed inter apocryphos rejici*. Didicerat enim ille ex Hieronymo, apud Hebraeos Esdrae, & Nehemiae sermones in unum coarctari, quod & Isidorus fatetur: sensit itaque alios libros, qui sub nomine Esdrae ferebantur, II. III., & IV. non esse in Canone, sed apocryphos censeri.

Tobiae liber in Canone Hebraeorum non est. Hoc autem ejus autoritatem non convellit; nàm licèt Esdras Canonis autor studiosus fuerit, & diligens, non potuit tamen omnes gentis suae historias, & veteris memoriae monumenta à popularibus suis scripta, colligere: Judaei enim licet Patriae, libertatique restituti, eo tamen tempore maximis rerum difficultatibus premebantur; quum autem posteà repertus est hic liber ab aliis, non potuit locum habere in Canone jam clauso, & obsignato. Idemque dicimus de libro Judith: unde Athanasius in Synopsi eos recenset inter libros, qui non sunt in Canone, sed leguntur. Idem de libro Sapientiae, Ecclesiastici, & Machabaicis dictum est.

Probabile autem est, Tobiae librum partim à Tobia Patre, hoc est priora duodecim capita, partim à Tobia Filio, hoc est, usque ad finem, conscriptum fuisse, quae est constantior Interpretum sententia. Duos autem ultimos versus, quibus Tobiae filii mors continetur, ab incerto autore, vel ab aliquo ex Nepotibus adjectos putant. Suadetur hoc ex cap. XII. 20. ait enim

eidm Angelus Raphaël: *Vos autem benedicite Deum, & narrate omnia mirabilia ejus*. In Graeca versione est: Scribite in libro quaequunque evenerunt.

Historiae Judith incertus est autor, & incertum tempus. Censet autem Petavius lib.XII. de Doctrina Temporum cap.26.post Bellarminum & Suarium, hoc factum incidere in tempora Manassis Regis Juda. Quod autem Grotius conatur ostendere, hunc librum esse meram parabolam, & Judith esse gentem Judaicam, Bethuliam Templum Dei, Gladium Judith preces Sanctorum, Nabuchodonosor Diabolum,&c.,repetita est cantilena Lutheri, Chytraei, aliorumque Novatorum, qui historiam Judith *poeticum figmentum & tragaediam appellant;* At si Judith ad Hebraeam gentem allegoricè significandam assumitur, cur dicitur uxor Manasses, filia Merari? Holophernis nomen Grotius ex Hebraico derivat; sed Persicae est originis, perindè ut *Tisafernes*, *Intafernes*, *Pharnaces*, &c.: non igitur haec symbolica est, sed verax narratio.

Dubius quoque autor est libri Ester. Epiphanius, & Augustinus lib.XVIII.de Civitate Dei cap.36. Esdrae adscribunt. Eusebius in Chronico recentiorem putat. Nonnulli à Mardochaeo scriptum volunt, inter quos Clemens Alexandrinus lib. I. Stromatum: adferunt verba illa capitis IX. vers. 20.: *Scripsit itaque Mardochaeus omnia haec, & literis comprehensa misit ad Judaeos*: & cap. XII. 4. *Sed & Mardochaeus rei memoriam literis tradidit*. Sed haec potius contrarium probant; quomodo enim potuit Mar-

do-

dochaeus scribere, se scripsisse librum, misisse ad Judaeos, ab iis susceptum, & omnia in eo mandata peracta fuisse? Oportuit, priusquam haec omnia fierent, librum fuisse scriptum. Talmudistae putant, esse opus Synagogae magnae.

Quidvis dicatur, modo salva sit libro autoritas: Nam & in Canone Hebraico locum habet, & in eo fit mentio *Festi Phurim*, sivè Fortium, quae etiam solemnia *Amanea*, & *Mardochaica* dicta sunt, eaque diù à Judaeis observata fuisse testatur lex *Judaeos* 18. Codic s Theodosiani de Judaeis. Quis enim, nisi insanus, credat Festum diem, & Anniversariam celebritatem profluxisse ex tragicomaedia, ut Lutherani quidam loquuntur, ejusdem vecordiae sectatores Anabaptistae, qui historiam hanc fictitiam esse arbitrantur? Dictus autem est dies *Phurim* à voce *Phur*, quam non Hebraeam, sed Persicam esse notat Aben-Ezra, significatque *sortem*, quia Aman Judaeorum hostis miserat sortes in Urnam, quâ perderet, ac deleret Judaeos; quum autem Esther Regina suaisset Assuero (fuit hic Cambises Rex Persarum, ut ex Josepho colligit Petavius lib. IV. Rationarii temporum cap. I.) ut revocaret Edictum de occidendis Judaeis: festus dies ejus memoriae celebrandae causâ institutus est, seù potius Bacchanalia Judaeorum, ut ait Pater Lamy in Apparatu Biblico lib. 1. cap. 6

Liber Job certum autorem non habet, sed quot sunt Interpretes, tot sententiae. Verisimile est, eum à Moyse scriptum ad solatium Hebraeorum, quum Aegyptia servitute premerentur; quod praeter Rabbinorum doctissimos, admisisse

vide-

videtur Hieronymus in Epistola ad Paulinum, ubi sacros libros recensens, post Pentateuchum subjicit librum Job ante librum Josue. Anabaptistae censent, hujus operis fictum esse argumentum, ad exhibendum Israëlitis invictae patientiae exemplum; quae opinio Religioso homine indigna est. Credibile tamen est, hanc etsi veram historiam, poeticè tamen à Moyse fuisse descriptam. Quum enim bona pars versibus constet; quis sibi persuadeat Job, in maximis animi, & corporis cruciatibus uxorem, & amicos versibus alloquutum fuisse? aut illos, virum tot malis oppressum metricâ oratione alloquutos?

Porrò libri antiquitas ex eo colligitur, quod in multis Scripturae libris fit ejus mentio, in libro Tobiae, in Prophetia Ezechielis, & alibi. In novo Testamento citat illum Apostolus I. ad Corinthios III. 19. dum ait: *Sapientia hujus mundi stultitia est apud Deum, Scriptum est enim: Comprehendam Sapientes in astutia eorum*. Qui locus est apud Job cap. V. 13. *Qui apprehendit sapientes in astutia eorum*. Et Jacobus in Epistola cap. V. 11. *Sufferentiam Job audistis, & finem Domini vidistis, quoniam misericors Dominus, & miserator*.

Psalmorum librum ab uno Davide fuisse compositum, censuere Chrysostomus, Theodoretus, & Ambrosius; adeo ut Philastrius Brixiensis Episcopus inter haereticos locet eos, qui contra sentiunt. De ea tamen re quidam dubitarunt, ut Augustinus: alii expressè fatentur, non omnes Psalmos à Davide scriptos esse, ut Athanasius, Hilarius, & Hieronymus, qui in Epistola

ſtola ad Cyprianum ait, *errare eos, qui omnes Pſalmos David arbitrantur, & non eorum nominibus inſcripti ſunt*. Probabile autem eſt, hos Pſalmos, quos Esdra collegit, & ordine digeſſit, eſſe reliquias ingentis numeri Pſalmorum, qui à plurimis viris piis, ab uſque tempore Moyſis, & fortaſsè ante Diluvium compoſiti, aſſervabantur in Tabulario Templi, & quo à Chaldaeis incenſo perierunt. Apparet enim ex Sacra Pagina, Salomonem ſupra quinque milla carminum lucubraſſe.

Complures autem Pſalmos alium à Davide autorem habere, argumento eſt principium Pſalmi 136. *ſuper flumina Babylonis illic ſedimus, & flevimus, quum recordaremur Sion*. Qui Jeremiae temporibus convenit, ab eoque ſcriptus videtur. Pſalmus quoque 64. hunc titulum praefert: *Canticum Jeremiae, & Ezechielis populo tranſmigrationis, quum inciperent exire*. Jeremias autem, Davide quingentis fere annis junior eſt. De captivitate Babylonica etiam loqui videtur Pſalmus 78. *Deus venerunt gentes in hereditatem tuam, polluerunt Templum ſanctum tuum*. De liberatione verò, Pſalmus 125. *In convertendo Dominus captivitatem Sion*, &c. Cenſuit quidem Auguſtinus lib. XVII. de Civit. cap. 14. haec à Davide per vaticinium indicata. Sed nulla eſt neceſſitas recurrendi ad miracula, illaque opinio praeferenda ſemper videtur, quae rationibus pugnat ei, quae ad prodigia, & Prophetiam recurrit.

Oppones. Ait Chriſtus Lucae XX. 42. *Et ipſe David dicit in libro Pſalmorum. Dixit Dominus Do-*

Domino meo, &c.: videtur ergo totum Psalterium Davidi tribuere.

Respondeo, Davidis nomine librum inscribi, quia David Psalmorum delectum, & musicum instrumentum prae omnibus adornandum curavit, vel quia praecipuam ejus libri partem ipse condidit. Sic volumen Epistolarum, quod Ciceroni tribuitur, plurimorum continet Epistolas, illius tamen nomen gerit, quod maximam partem scripserit, vel quia licèt liber non sit solius Davidis, ille tamen Psalmus centesimus nonus, quem Christus citat, Davidis est, adeòque ait: *Ipse David dicit in libro Psalmorum.*

Secundo oppones: in calce Psalmi 71. legitur: *Defecerunt laudes David filii Jesse.* Igitur sequentes Psalmi Davidis non sunt, sed tantùm superiores. Praeterèa II. Regum XXII. quum cecinisset David Psalmum: *Diligam te Domine fortitudo mea*, qui est Psalmus 17.: eo completo ait historicus initio capitis XXIII. *Haec autem sunt verba David novissima.* Ergo David non plures, quam decem & septem Psalmos lucubravit.

Respondeo ad primum. Illud Psalmi 71. extremis temporibus à Davide compositum fuisse, quum jam jam moriturus, Salomoni Regnum traderet; at ordo Psalmorum non est ordo temporum: fortasse enim Esdras sequutus est seriem, quâ Psalmi in Templo canebantur, prout vel anniversariae Festivitates, vel sacrorum ratio postulabat. Ad secundum dico, annotationem illam historici, *haec sunt verba David novissima*, non pertinere ad antecedentia, quasi ille Psalmus fuerit Davidicorum ultimus, sed ad sequen-

quentia, ut ex lectione fit manifestum.

Proverbiorum liber Salomonis est, non tamen omnes Parabolae in eo continentur; fuerunt enim tria millia, ut habetur III. Regum VI. *loquutus est quoque Salomon tria millia Parabolas*. Quamquam Hieronymus in Quaestionibus Hebraicis putat, constare hunc librum versibus 915., in quibus continentur tria millia Parabolae, quod tamen aliis non est persuasibile. Neque verò omnes Parabolae, quae ibi reperiuntur Salomonis sunt. Sic enim incipit caput XXV. *Hae quoque Parabolae Salomonis, quas transtulerunt viri Ezechiae Regis Juda*, & cap. XXX. *congregantis filii Vomentis*; quae tamen ita erant transferenda verba Agur filii Jachae, qui fortasse fuit Hebraeorum Magister, sub sequioribus Regum temporibus. Ex hoc loco putant Hebraei, Aristotelem multa decerpsisse.

Librum Ecclesiastes Talmudistae adscribunt Ezechiae, Grotius Zorobabeli; quod nihil aliud est, nisi Herculis cothurnos aptare infanti; est enim liber Salomonis, neque potest alteri ab illo convenire, quod dicitur ibidem cap. I. ver. 16. *Locutus sum in corde meo, dicens: Ecce magnus effectus sum, & praecessi omnes Sapientia, qui fuerunt ante Jerusalem*. Multa quoque sparsa in eo inveniuntur de ejus gloria, divitiis, & potentia; quae in Salomonem ita quadrant, ut expressiùs notari non potuerit: nam ipse Deus fatetur III. Regum cap. III. 12. & 13. se dedisse Salomoni sapientiam, opes, & gloriam supra cunctos alios Reges, qui fuerunt, quique futuri erant.

Lu-

Lutherus in sermonibus Convivalibus temulentiam suam apertè prodit, dum inquit: *Ecclesiastes Liber nullam habet perfectam sententiam, equitat in arundine longa, sicut & ego dum eram in Monasterio*. Quid enim gravius illo exordio? Dixit Ecclesiastes, *Vanitas vanitatum, & omnia vanitas*. Quid illa peroratione Sanctius? *Deum time, & mandata ejus observa, hoc est enim omnis homo*. Satis est librum inspicere, ut quis sacrum esse, & à sapientissimo virorum esse conscriptum manifestè intelligat, ut observat Bellarminus libro 1. de verbo Dei cap. 5.

Cantica Canticorum à Salomone adolescente composita, censent Hebraei; unde proverbium apud ipsos, *Juvenum proprias esse cantilenas, virorum parabolas, senum sermones de vanitate rerum*. Quidam haeretici, quos memorant Theodoretus, & Philastrius, quibusque accesserunt Anabaptistae, & Sebastianus Castalio, hunc librum profanum putant, non Dei Spiritu, sed cupidinis afflatu scriptum, in eoque nihil aliud, quam colloquia amatoria Salomonis cum uxore, Pharaonis filia, exhiberi.

At qui constat inter pios, & sanctos homines, quae ibi dicuntur, mysticè de Ecclesia dici, quam Deus per Incarnationis Mysterium sibi sponsam elegit. Neque enim certae foeminae convenire possunt, quae ad ejus formam laudandam arcessferunt. In cap. VII. *Caput tuum ut Carmelus. Nasus sicut Turris Libani. Collum Turris eburneae, Oculi sicut piscinae in Hesebon, dentes ut grex ovium, &c.* Et quamvis quaedam de Regina dicta videri possint, ut: *Quam pulcri sunt gressus tui in* cal-

calceamentis filia Principis. Non sic tamen alia, ut cap. I. *Filii matris tuae pugnaverunt contra me, posuerunt me custodem in vineis: vineam meam non custodivi*. Idem, *Abi post vestigia gregum, & pasce baedos tuos juxtà Tabernacula pastorum*, & cap. V. *invenerunt me custodes, qui circumeunt Civitatem: percusserunt me, & vulneraverunt me*. Quibus significatur, non hic de foeminarum amoribus, sed de divinis arcanis sermonem haberi,

Liber Sapientiae, neque in Canone Hebraeorum receptus fuit, neque Hebraicè scriptus extat, sed Graecè dumtaxat. Existimarunt quidam à Philone Judaeo scriptum fuisse, ut notat Hieronymus praefatione in libros Salomonis. Credendum est ex sententiis Salomonis ab aliquo compilatum: unde ipsum tanquam Canonicum Ecclesia admisit, praesertim quum saepè in Epistolis citetur ab Apostolo, cujus testimonia latè expendit Huetius. Itaque Magister Canus lib. II. de locis Theologicis cap. 11. meritò Cajetanum castigat, qui eum hoc tantum sensu pro Canonico agnoscit, quod ad mores instituendos, & fidelium aedificationem plurimum conferat. Hinc S. Augustinus lib. 1 de Praedestinatione Sanctorum cap. 14. quum usus esset loco quodam Sapientiae cap. IV. vers. 11. *Raptus est ne malitia mutaret intellectum ejus*, & à quibusdam parvi pensus fuisset, tanquam non de libro Canonico adhibitus, ita in eos invehitur: non debuit repudiari sententia libro Sapientiae, qui meruit in Ecclesia Christi de gradu lectorum Ecclesiae tam longa annositate recitari, & ab omnibus Chri-

Christianis, ab Episcopis, usque ad extremos Laicos, Fideles, Poenitentes, Cathecumenos, cum veneratione Divinae autoritatis audiri.

Ecclesiastici librum non esse Salomonis fatetur Hieronymus. Quod est intelligendum de compilatore, qui fuit Jesus filius Sirach, non de sententiis, quae Salomonis sunt; quemadmodum vero non dicitur domus opifex, qui lapides caedit, & ligna ministrat, sed qui ea ordine collocat, & disponit; hinc factum est, ut ejus auctor libri, non Salomon esse dicatur, sed Siracides, quem quidam putant fuisse unum ex septuaginta interpretibus. Ex hoc libro videtur Apostolus illud mutuatus ad Romanos IX. 21. *An non habet potestatem Figulus luti, ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem, aliud verò in contumeliam?* quod reperitur cap. XXXIII. Ecclesiastici vers. 13.; quamvis igitur ejus autoritas à multis in dubium adducta sit, Ecclesiae tamen definitione firmiter stabilita est.

Prophetae quidam Majores dicuntur, ut Isajas, Jeremias, Ezechiel, & Daniel: alii minores numero duodecim, ita dicti, quia sermones eorum sunt breves in illorum comparatione, qui majores ideò vocantur, quia prolixa volumina condiderunt. Verba sunt Augustini XVIII. de Civitate cap. 19. De eorum autoritate pauci dubitarunt, paucissimi detraxerunt, ut Manichaei, adversus quos jampridem Ecclesiastici Scriptores calamum exacuerunt, in primis Augustinus lib. XII. contra Faustum Manichaeum. Si enim Prophetiae sunt opere completae, jam divinae sunt, iisque omninò credendum, juxta illud

Christi Joannis XIV. 29. *Nunc dixi vobis priusquam fiat; ut quum factum fuerit credatis.* Quum autem hic labor à plurimis jam susceptum sit, & res egregiè ostensae, ad alia contendamus.

Libros Machabaeorum totis viribus adortus est Calvinus in Antidoto Concilii, & alibi; quum enim instituisset preces pro mortuis, & purgatorium ignem poenitus evertere; sentiebat se vehementer urgeri cap. XII. lib. II. Machabaeorum; igitur qui mos est desperantium, ipsis libris autoritatem eripuit. Nihil autem contra nos facit, quod in Canone Hebraeorum non sint recepti; hoc enim argumentum à nobis superiùs resolutum est. Sufficit, eos habitos fuisse pro Canonicis ab antiquis Ecclesiae Doctoribus Cypriano, Nazianzeno, Ambrosio, Isidoro, aliisque: undè Sanctus Augustinus XVIII. de Civitate cap. 36. ait: *Libros Machabaeorum non Judaei, sed Ecclesia pro Canonicis habet.* Ex quo colligit optimè Bellarminus, tantum interesse inter spiritum Austini, & Calvini, ut Augustinus quia credit, libros Machabaeorum esse Canonicos, inde inferat bonum esse orare pro mortuis: Calvinus, quod malum existimet orare pro mortuis, indè conficiat libros Machabaeorum non esse Canonicos; sed audiamus Sectariorum argumenta.

Primum est, quod Auctor capite ultimo libri II. petit veniam erratorum, quod sacris Scriptoribus non convenit, qui non ingenio, & labore suo, sed Spiritu Sancto revelante scripserunt.

Respondeo, non petere veniam errorum quoad

quoad veritatem historiae, sed quoad dignitatem, & elegantiam styli, ut ex verbis patet. Ita Paulus II. Corinthior. II. ait: *Utinam sustineretis modicum quid insipientiae meae, &c.* & infrà *Nam & si imperitus sermone, sed non scientia, &c.*

Secundum falsum est, quod dicitur II. Machabaeorum 1. *Quum in Persidem captivi ducerentur Patres nostri*: Judaei enim non in Persidem, sed in Babylonem abducti fuerunt.

Respondeo, Persidem vocari etiam Regiones Persidi finitimas, ut patet ex I. Machabaeorum VI., ubi nuncius, qui venit in Babylonem ad Antiochum, dicitur venisse ad eum in Persidem. Ita etiam loquuntur alii Scriptores, ut Chrysostomus, qui homilia VI. in Matthaeum ait, Judaeos ex captivitate Persica liberatos.

Tertium falsum est, quod dicitur in principio capitis I. libri I., Alexandrum Philippi Macedonem primùm regnasse in Graecia; constat enim ante illum multos fuisse in Graecia Reges Macedonum, Corinthiorum, Spartanorum, Atheniensium, ut videre est in Eusebii Chronico.

Respondeo, id esse intelligendum, non de quocunque Graecorum Regno, sed de Monarchia Graecorum: sex enim annos insumpsit Alexander ad fundandam Monarchiam, sex reliquis eam rexit, ut testantur historiae Diodori, Ariani, Plutarchi, &c.

Quartum falsum est, quod dicitur de Romanis cap. VIII. lib. 1. 16. *Et committunt uni hominum magistratum suum per annos singulos, &c.*

Romae enim tunc temporis duo Consules quotannis creabantur.

Respondeo fieri mentionem unius: quia licèt duo essent, alternis tamen diebus imperium habebant, & sic uni videbatur commissa Respublica; id modo cautum est, inquit Livius principio libri II., ne si ambo fasces haberent, duplicatus terror videretur, nec tàm exacti, quàm geminati Reges dici possent.

Quintum. Laudantur in his libris quidam, qui mortem sibi consciverunt, ut Eleazar libro I. cap. 6., & Razias libro II.

Sed hanc difficultatem sustulit olim S. Augustinus Epistola 61. ad Dulcitium, cujus summa est, horum mortes non laudari, sed narrari, vel certè si laudantur, id fit ex sententia hominum, qui putant eos viriliter agere, qui se ipsos interimunt, juxtà Lucani effatum libro IX. Pharsaliae

Scire mori sors prima viris, sed proxima cogi.

Et sanè ita loquitur historicus de Razia: quum jam comprehenderetur, gladio se petiit; eligens nobiliter mori potius, quam subditus fieri peccatoribus, & contra natales suos indignis injuriis agi. Eleazar verò non se ipse occidit, sed ex casu Elephantis periit, ut in textu videre est.

DE LIBRIS
Novi Testamenti.

MOs fuit Haereticorum I. saeculi, eos libros damnare Novi Testamenti, quos

causae

causae suae infestos esse putarent. Ita olim Manichaei quasdam partes repudiabant; quorum audaciam nostra aetate imitari sunt Anabaptistae. Sic Ebionitae probabant, Evangelium secundum Hebraeos, alia asperabantur: Marcionistae quaedam excipiebant ex Evangelio Lucae; Cerinthus, & Carpocrates totum rejiciebant. Severiani non agnoverunt Acta Apostolorum, neque Epistolas Pauli, ut nec Alogi Evangelium Johannis, in quo *Logos*, seu Verbum praedicatur. Hoc autem magnum argumentum est auctoritatis, & fidei eorum librorum, quod quicumque illos oppugnare tentarunt, ab Ecclesia exterminati sunt. Videri potest Eusebius in libris historiae Ecclesiasticae, qui rem hanc veluti ex instituto tractavit.

Damnanda autem est Erasmi temeritas, qui in Adnotationibus in Matthaeum scribit, non esse metuendum, ne Scripturae autoritas labefactetur, si levis aliquis error in ea deprehendatur, praesertim quum Augustinus lib.III. de consensu Evangelistarum cap. VII. fateatur, Evangelistas interdum memoria lapsos; quod & res ipsa indicat: legitur enim Matthaei XXVII.9. *Tunc impletum est quod dictum est per Jeremiam Prophetam, dicentem: Et acceperunt triginta argenteos, pretium appretiati, &c.*; quod vaticinium non debuit Jeremiae tribui, quum sit Zachariae cap. XI. 12., en memoriae lapsum.

Sed antequam objectioni satisfaciam, quoniam Erasmus utitur Augustini testimonio, videamus quid de hac re senserit S. Doctor. Planè in lib. II. de consensu Evangelistarum cap.

scripsit; *Omnem falsitatem abesse ab Evangelistis decet, non solum eam, quae obliviscendo &c.*: & in Epistola VIII. ad S.Hieronymum: *admisso*, inquit, *in tantum veritatis fastigium aliquo mendacio, nulla particula horum librorum manebit; quae non possit in dubium revocari*. Calumniatur igitur Erasmus, dum sententiam illam imponit Augustino.

Venio nunc ad lapsum Matthaei, de quo differens Augustinus ab Erasmo citatus, occasionem ei praebuit mentiendi. Ait enim, secretiori consilio Providentiae Dei, qua mentes Evangelistarum gubernatae fuerunt, permissum, ut memoriae Matthaei, pro Zacharia occurreret Jeremias, quod tamen vel ipse, vel alii legentes emendare potuissent; at id noluit Matthaeus, animadvertens omnes Prophetas uno spiritu locutos, & quae Zachariae sunt, eadem esse Jeremiae.

Alii cum Origene, & Eusebio suspicantur, hoc esse mendum scripturae, maximè quum Librarii consueverint nomina propria contrahere, & ex breviatura facilè potuit Zacharias mutari in Jeremiam, ut ostendit Daniel Huetius in Demonstratione Evangelica propositione IX. c. 125. qui etiam hoc addit in interpretatione Syriaca, Persica, & quibusdam latinis Codicibus, neque Jeremiae, neque Zachariae nomen reperiri, quod & antea observaverat Augustinus lib. III. de Consensu Evangelistarum cap. VII.

Evangelium primus scripsit Matthaeus anno [illegible]tio post mortem Christi, ut docet auctor Ope[ris im]perfecti in Matthaeum, & communem esse

opi-

opinionem testatur Baronius. Scripsit autem ad preces Judaeorum conversorum, ideoque usus est sermone tùm Hebraeis familiari, hoc est mixto ex Chaldaico, & Syriaco, ut Hieronymus indicat lib.III. in Pelagianos cap. I. Feruntur textus quidam hebraici, sed omnes à peritioribus Criticis habentur pro suspectis, ut & textus Syriacus, qui hodie visitur. Secundus, Evangelium scripsit Marcus, & quidem latinè, ut probat Baronius. Tertius Lucas, S. Pauli comes peregrinationis, cujus laus est in Evangelio, *per omnes Ecclesias*, ut idem Apostolus ait II. ad Corinthios VIII.; idque à Paulo significari volunt illis verbis, quae saepè usurpat in Epistolis: *Secundum Evangelium meum*. Is Graecè scripsit, ut & postremus Johannes, cujus Evangelium Origenes, *primitias Evangeliorum* appellat.

Acta Apostolorum idem scripsit Lucas, qui se eorum auctorem prodit in prooemio ad eundem Theophilum, quem principio sui compellat; itaut hi libri alter alteri, sibi auctoritatem concilient. Vocatur à Chrysostomo hic liber *Dogmatum de Spiritu Sancto*: a Syris dicitur *historia Apostolorum*. Hieronymi ad Paulinum testimonium est, ejus libri verba omnia languentis animae esse medicinam.

Ex Epistolis Pauli una ad Hebraeos, gravem passa est controversiam. Marcion, & Arius dixerunt, neque Pauli esse, neque sacram. Hos sequutus est Lutherus in Prologo ad eundem, Brentius in Confessione Wicembergensi, & Kemnitius in Examine IV. sessionis Concilii Tridentini. Concedit tamen Calvi-

nus esse Apostolicam, sed dubitat an sit Pauli. Quae opinio fuit multorum etiam Catholicorum, ut testantur Eusebius, & S. Hieronymus in libro de Viris illustribus; adscripta enim fuit Barnabae, Lucae, Clementi Romano Pontifici, & Tertulliano; quum autem Tertullianus libro de pudicitia cap. XX. ejus Epistolae meminerit, eamque tribuerit Barnabae. Sed & superiori aevo Erasmus, & Cajetanus in Adnotationibus ad eandem Epistolam, litem olim sopitam iterum suscitarunt.

Suadetur autem, hanc Epistolam esse Pauli, quia, demptis paucissimis, omnes antiqui Patres ejus esse agnoverunt, inter quos Clemens Primus, Pauli coaetaneus, Origenes, Clemens Alexandrinus, Eusebius, & Hieronymus in epistola ad Dardanum, ubi de consensu omnium Ecclesiarum testificatur: & quamvis dicat, suâ aetate, non dum fuisse relatam in Canonem; ipse tamen veterum autoritatem sequitur, neglecta temporis sui consuetudine; fortasse enim tunc non solebat in Ecclesia legi, quod ab haereticis depravata esset, & multis additamentis vitiata, ut notat Philastrius haeresi 88.

Praeterea idem hoc argumento probatur: certum est, Petrum primam suam Epistolam ad Hebraeos scripsisse inter gentes dispersos, ut ex ipso titulo apparet. Certum quoque est, secundam Epistolam ad eosdem scripsisse, ut patet ex principio capitis III. ejusdem: *Hanc ecce vobis, Fratres carissimi, secundam scribo Epistolam.* Atqui ibidem fatetur Petrus, Paulum ad eos scripsisse; ergo Petro teste, Paulus scripsit ad Hebraeos. Verba autem sunt versu 15.: *Sicut*

cut & cariſſimus Frater noſter Paulus, ſecundum datam ſibi ſapientiam ſcripſit vobis, ſicut & in omnibus Epiſtolis, in quibus ſunt quaedam difficilia intellectu, quae indocti, & inſtabiles depravant, ſicut & ceteras ſcripturas, ad ſuam ipſorum perditionem. Ex quibus duo conficiuntur: primum, Paulum ad Hebraeos Epiſtolam ſcripſiſſe: ſecundum, quod proximè innuimus, Pauli Epiſtolas obnoxias fuiſſe aliorum temeritati, & corruptioni.

Argumentum, quod potiſſimum adverſarii oſtendant, ſumitur ex capite II. ejuſdem Epiſtolae illis verbis: *Quomodo nos effugiemus, ſi tantam neglexerimus ſalutem? quae quum initio accepiſſet narrari per Dominum ab eis, qui audierunt, confirmata eſt in nos, conſtante Deo ſignis, & virtutibus, &c.* At Paulus ad Galatas I. fatetur, se non per homines, ſed à Chriſto per revelationem didiciſſe Evangelium: ergo hujus Epiſtolae ſcriptor alius eſt à Paulo.

Reſpondet Bellarminus, Paulum haec proferre ex perſona non ſua, ſed hominum ſuae aetatis, quemadmodum Iſaias cap. LXIV. ex perſona populi ait: *facti ſumus ut immundi omnes nos, & quaſi pannus menſtruatae univerſae juſtitiae noſtrae: non eſt qui invocet nomen tuum, &c.* Quod quum dicat ipſe Deum invocans, non loquitur ex ſua, ſed ex populi perſona. Inſuper non eſt abſurdum, quod Paulus inter eos recenſeat se, qui ab Apoſtolis fuere confirmati: ibi enim non agit de confirmatione per doctrinam, ſed per miracula, ibi ſignis, & virtutibus. Eſt autem vero proximum, Paulum jam converſum,

etſi

etsi Evangelium per revelationem plenissimè didicisset, confirmatum tamen fuisse in fide, auditis miraculis Petri, aliorumque Apostolorum, praesertim verò eo miraculo, quo Ananias ei lumen oculorum restituit, de quo Actorum IX.

Reliquas Apostolorum Epistolas, Jacobi, Petri, Judae, & Johannis, Calvinus admisit. De Epistola Jacobi Erasmus dubitavit, contempsit Lutherus; sed una omnium ratio est, aequè enim omnes in cathalogo Sacrarum Scripturarum, jam à primis saeculis numerantur, ut constat ex Concilio Laodicensi, & Carthaginensi III. .. Illâ verò Jacobi utitur ad probandum dogma Ecclesiasticum, Concilium Milevitanum Can. VII. Ex Patribus, insigniores, eam admittunt, ac citant, Sanctus Dionysius, Origenes, Cyprianus, Epiphanius, Athanasius, Hieronymus, Augustinus; quorum loca apud Bellarminum reperies lib. 1. de Verbo Dei cap. 18.

Quin & Tertullianus unus ex antiquioribus in libro de Praescriptionibus testatur, in quibusdam Ecclesiis Apostolicis suâ aetate legi consuevisse literas, ipsis Apostolorum manibus scriptas, qui mos inolevit ab ipso tempore Apostolorum. Ita Paulus ad Colossenses in fine: *Quum lecta fuerit apud vos Epistola haec, facite, ut in Laodicensium Ecclesia legatur, & quae Laodicensium est, vos legatis*. Evangelium quoque Johannis, manu ipsius scriptum, Ephesi servatum est usque ad tempora Honorii Imperatoris; atque ex fide istorum exemplarium primogenitorum, quae custodiebantur in Archiviis Ecclesiarum, compone-

ponebantur controversiae, & dubia tollebantur, undè quum hoc in nimiam superstitionem venisset, & quidam nollent quidquam admittere, quod in illis non extaret; meritò de hoc conqueritur Sanctus Martyr Ignatius in Epistola ad Philadelphienses, quum ex eo perimeretur Traditio, & fidei meritum tolleretur.

Denique Apocalypsis Beati Johannis Apostoli, licèt ab Alogis adscripta fuerit Cerintho Haeresiarchae, hanc tamen dementiam solidè confutavit Epiphanius. Lutherus, ait, librum neque Propheticum esse, neque Apostolicum, sed similem prorsùs libro IV. Esdrae. Esse tamen Canonicam scripturam, & esse Johannis Apostoli, constans est Catholicae Ecclesiae sententia; nam praeter alia Concilium Ancyranum, quod est unum ex vetustissimis, in Canone ultimo, etiam citat nomen Johannis, ut taceam de Concilio Carthaginensi III., Romano sub Gelasio I., Toletano IV., & aliis, ex quo ait Sulpitius Severus lib. 2. Sacrae Historiae, *librum Apocalypsis à plerisque aut stultè, aut impiè non recipi*.

Tum verò Sancti Patres proximi temporibus Apostolicis, eam talem esse agnoverunt, qualem nos profitemur. S. Dionysius lib. de Ecclesiastica Hierarchia cap. 3. eam vocat, *arcanam, & mysticam visionem dilecti Discipuli*. S. Justinus in dialogo cum Tryphone idem affirmat; imò teste Hieronymo, Apocalypsim commentariis illustravit, idem fecit S. Jrenaeus, qui ait, Apocalypsim quasi suo saeculo scriptam fuisse, hoc est sub finem Imperii Domitiani. Alios numerare infi-

infiniti esset operis: itaque his supersedens, ad alia me confero.

CAPUT SECUNDUM

De Traditione.

TRaditionis nomine intelligitur à Theologis doctrina non scripta: undè fit, quod opponatur Scripturae. S. Jrenaeus lib. III. cap. XX. *Evenit*, inquit, *neque Scripturae*, *neque Traditioni consentire eos*. Tertullianus libro de Corona militis: *Si legem postulas*, *scripturam nullam invenies. Traditio tibi praetenditur autrix*. Controversia inter nos, & Lutheri, Calvini, Socinique asseclas est; an omnia, quae ad fidem, & mores pertinent Christianorum in scriptura habeantur; an praeter scripturas sint quaedam Divinae, & Apostolicae Traditiones, ex quibus, tùm quae credenda, tùm quae agenda sunt excipiantur.

PROPOSITIO PRIMA

Non omnia in Scripturis habentur, sed recurrendum interdum ad Traditiones.

PRobatur: Scriptura non est necessaria, neque sufficiens ad conservandam Religionem, ergò praetèr scripturam, aliquid non scriptura, sed traditione admittendum est. Probatur primum in

In lege naturae, hoc est, ab Adamo usque ad Moysen fuit vera Religio, cujus substantia est fides, saltem implicita in Christum Mediatorem: at tunc nulli fuere libri sacri, quod praeterquam quod certum est, ex eo etiam probari, quod dicit Deus Genesis XVIII. *Scio quod Abraham praecepturus sit filiis suis, & domui suae post se, ut custodiant viam Domini*; ergo per spatium bis millia annorum Religio consistit in sola Traditione.

Secunda pars probatur. Libri amitti possunt, & vitiari: *Multa*, inquit Chrysostomus, *ex Propheticis monumentis perierunt, quod vel Paralipomenon libris evincitur. Ubi est liber Bellorum Dei, liber Foederis, liber Legis Dei, de quibus mentio est in Pentateucho? Ubi tot carmina Salomonis, &c.* Et ex Novo Testamento; *ubi est Epistola Pauli ad Laodicenses, ubi alia ad Corinthios, de qua meminit in prima ad eosdem capite* V.? Praeterea apud Sanctos Patres reperiuntur quaedam effata Christi, quae tamen in Evangelio non extant, illud: *Estote prudentes foeneratores*. Interdùm alitèr à Patribus referuntur, ac leguntur in Evangelio, ut in II. Epistola Clementis: *Si parvum non servastis, quis dabit vobis magnum; dico autem vobis, quod fidelis in minimo, etiam in magno fidelis est*. Quae verba sumpta sunt ex Lucae XVI., sed aliter ibi leguntur. De Epistolis Pauli, quod caeperint ab ipsa aetate Apostolorum depravari, testis est Petrus, ut supra notavimus; ergo scriptura de se non est sufficiens ad conservandam Religionem.

Insuper Christus non praecepit, ut Evange-

ge-

gelium scriberetur, sed tantum ut praedicaretur: hinc ex natis occasionibus ea, quae habemus Novi Testamenti, scripta fuerunt: Matthaeus enim scripsit, ut morem gereret Hebraeis: Marcus Romanis: Lucas, ut reprimeret eorum audaciam, qui, quae non noverant, narrabant; Johannes usque ad exremam aetatem praedicavit semper, scripsit tandem Evangelium exoratus ab Episcopis Asiae propter haeresim Ebionitarum, ut testantur Eusebius, & Hieronymus. Si igitur illae occasiones non evenissent, fortasse eas scripturas non haberemus.

Denique cur credimus, esse credendum Scripturae; quum hoc, quod legimus verum esse Evangelium Matthaei, cur hos libros esse Divinos, illos apocryphos? certè haec ex Scripturis haberi nequeunt. Audi Origenem apud Eusebium VI. historiarum 18. *Ex Traditione didici de quatuor Evangeliis, quod haec sola &c.* S. Augustinus in libro contra Epistolam Fundamenti cap. V. ait, se non crediturum Evangelio, nisi Ecclesia id praecipiat. Basilius in libro de Spiritu Sancto cap. 27. docet, magnam fore Evangelii jacturam, si negligantur non scriptae Traditiones. Vide Canonem Ecclesiasticarum distinct. 1.

Quid? quod ipsi Protestantes multa credunt, de quibus ne verbum quidem extat in Scripturis, ut Mariam fuisse semper Virginem: valere Baptismum datum ab impiis, ab haereticis: item parvulos baptizari posse credunt Lutherani, & Calvinistae contra Anabaptistas; atqui id ex Scriptura probari non potest. Origenes

nes in cap. VI. ad Romanos inquit: *Ecclesia ab Apostolis Traditionem accepit, etiam parvulis Baptismum dare*: ergo velint, nolint, ad Traditionem recurrere debent.

Sed & ipsa Scriptura Traditionem commendat. Exodi XIII. ita Deus loquitur: *Narrabis filio tuo in illa die dicens: Hoc est, quod fecit Dominus*. Psalmo 77. *quanta mandavit Patribus nostris nota facere ea filiis suis, ut cognoscat generatio altera*. Et ex Novo Testamento, Johannis ultimo: *Sunt & alia multa, quae fecit Jesus, quae si scribantur per singula, nec ipsum arbitror mundum capere posse eos, qui scribendi sunt libros*. Ad Thessalonicenses II. *Tenete Traditiones, quas accepistis, sivè per sermonem, sivè per Epistolam*. Chrysostomus ibidem: Hinc patet, quod non omnia per Epistolam, sed multa etiam sine literis: eadem verò fide digna sunt tam illa, quàm ista.

Opponunt primo Deuteronomii IV. & XIII. *Non addetis ad verbum, quod ego praecipio vobis, nec auferetis ex eo*. Et cap. I. ad Galatas: *Sed licet nos, aut Angelus de Coelo evangelizet vobis praeterquamquod evangelizavimus vobis, anathema sit*. Ubi notat Chemnitius, non dixisse Paulum, *contra*, sed *praeter*; & ne interpretemur Apostolum de verbo tam scripto, quam non scripto, affert Augustinum, qui eum locum sic exponit lib. III. contra literas Petiliani cap. VI. *Si quis, sivè de Christo, sivè de Ecclesia, sivè de quacunque re, quae pertinet ad fidem, vitamque nostram non dicam si nos, sed quod Paulus adjecit, si Angelus de Coelo annunciaverit vobis, praeterquam quod in Scripturis legalibus, & Evangeliis accepistis anathema sit*.

Respon-

Respondeo ad primum, argumentum esse de subjecto non supponente: nam Traditio est ipsum Verbum Dei; neque Deus dixit: *Non addetis ad verbum quod scripsi; sed quod ego praecipio*. Sensus autem est, mandata Dei esse fideliter conservanda, nec pravis interpretationibus eludenda, quod idem inculcatur illis verbis Deuteronomii XVII. 11. *Nec declinabis ad dexteram, neque ad sinistram*.

Ad secundum dicimus, Paulum intelligi de omni verbo Dei, tam scripto, quam non scripto. Nec obstat Augustini expositio: ibi enim non interpretatur hunc locum ex professo; sed tantum eo utitur ad probandum, non posse quid affirmari contrarium scripturis: quum enim Paulus loquatur de praedicatione Apostolica, quae partim est scripta, partim non scripta; textus ille, qui est universalis potest probare, non licere aliquid proferre contra praedicationem scriptam, quia ex negatione generis, rectè negatur species, sed non è contrario. Quid, quod ipse Augustinus alibi, illud *praeter* exponat, *contra*? Sic enim ait tractatu 98. in Johannem: Non ait *plusquam quod accepistis, sed praeterquamquod accepistis*. Nec potuit alitèr accipi, nam ipse Paulus multa postea evangelizavit; & Johannes opera sua scripsit post eam Epistolam: illae igitur traditiones improbandae sunt, quae adversantur verbo Dei, ut Christus ait Pharisaeos arguens Matthaei XV. *quare vos transgredimini mandatum Dei propter traditionem vestram?*

Secundo opponunt Apostolum II. ad Timotheum III. *Omnis scriptura divinitus inspirata utilis*

lis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in justitia, ut perfectus sit homo Dei ad omne opus bonum instructus. Si igitur omnia haec, quae necessaria sunt homini Christiano habentur in Scriptura, supervacua est Traditio.

Respondeo, Apostolum dicere omnem Scripturam, hoc est singulos Scripturae libros esse utiles ad docendum, corripiendum, &c., ut probaret Timotheo, etiam Vetus Testamentum esse utile ad docendum, & arguendum, quia fuerat divinitùs inspiratum. At non dicit, Scripturam esse sufficientem; aliud enim est utile, aliud sufficiens, quod omnis sanus intelligit. Aliàs argumentum probaret nimis, nimirum singulos libros Scripturae satis esse, quod nemo, vel haereticus admittit.

Tertio opponunt locos Patrum plurimos, sed duos elegi, qui magis obstare videntur. Primus est Basilii in sermone de Confessione Fidei, ubi ait: *Infidelitatis argumentum fuerit, & signum superbiae certissimum, si quis eorum, quae scripta sunt, aliquid vult rejicere, aut eorum, quae non scripta introducere.* Secundus est Augustin. lib. II. de Doctrina Christiana cap. 9. *In his, quae aperte posita sunt in scriptura, inveniuntur illa omnia, quae continent Fidem, moresque vivendi.*

Respondeo ad primum, Basilium loqui de iis Traditionibus, quas homines proprio cerebro excogitant à Scripturis alienas, vel repugnantes, haec enim est nota superbiae; non autem de iis, quas per manus Episcoporum Ecclesia ab Apo-

ftolis accepit. Ad secundum dico, Augustinum loqui de iis Dogmatibus, quorum fides, & cognitio explicita est, cuique necessaria ad salutem, ut sunt praecipua Mysteria Symboli, & principia Moralia, quae in Decalogo continentur, quae quidem in Scriptura inveniuntur; at non ea, quorum fides, & cognitio non est simpliciter singulis necessaria, ut quidam Articuli de Sacramentis, &c.

Opponunt tandem, maximi periculi esse fidere Traditionibus, quum impossibile sit discernere Divinas Traditiones, quae saepissimè cum humanis confunduntur. Cui argumento non poterit melius occurri, quam si ostendatur, esse quosdam Characterismos, quibus verae Traditiones à falsis distinguuntur.

PROPOSITIO SECUNDA

Traditiones Vniversae Ecclesiae consensu approbatae, Divinae sunt.

PRobatur, quia Ecclesia Universalis juxtà Pauli praeconium I. ad Timotheum III. est *Columna, & Firmamentum veritatis*, errare igitur nequit; fundata est enim Ecclesia super Christum, qui est ipsa veritas, & ex ejus promissione, portae inferi non sunt praevaliturae adversus ipsam. Si autem posset Ecclesia Catholica decipi, jam Diabolus de Christi Sponsa victoriam reportaret, in nullo enim magis ille triumphat, quam in errore, qui est semen malorum omnium: at hoc est maximè absurdum, & impium dictu; ergo Traditiones, quas Ec-

Ecclesia amplectitur Universa, verè sunt Apostolicae.

Praeterea idem à Sanctis Patribus passim praedicatur. Tertullianus in libro de Praescriptionibus adversus haereticos ait: *quod apud multos unum invenitur, non est erratum, sed traditum*. Vincentius Lirinensis in Commonitorio cap. II. scribit; *In ipsa item Catholica Ecclesia magnopere curandum est, ut id teneamus, quod ubique, quod semper, quod ab omnibus creditum est*. Quam sententiam ab ipsis Protestantibus vehementer extolli animadverto. Et ratione quidem: si enim ponamus, totam Ecclesiam potuisse errare in quovis saeculo, jam nihil proponi potest, cur non existimemus, eam errasse in recipiendo Evangelio.

Hinc amarulenta illa Hieronymi ironia in Vigilantium, quum jam esset ab universa Ecclesia proscriptus: *Et non solum*, inquit, *unius Urbis, sed totius Orbis errant Episcopi, qui cauponem Vigilantium contemnentes, ingrediuntur Basilicas mortuorum*. Eadem quoque est ratio argumentandi reliquorum Sanctorum Patrum. Cyprianus ex eo, quod Novatianus apud omnes Orbis Ecclesias haereticus audiret, haereticum eum esse pronunciat, sic enim scribit Epistola XIII. lib. 3. *Quam vanum est, ut Novatiano nuper relicto, & confutato, & per ipsum Orbem à Sacerdotibus Dei abstento, nunc adulatores adhuc nobis patiamur illudere, & de Majestate, ac Dignitate Ecclesiae judicare*. S. Augustinus in libris adversus Pelagianos infert, eorum haereticam esse doctrinam, quod omnes Christiani Orbis Ecclesiae

subscripserunt Decretis Synodorum Carthaginensium, & judicio Summorum Pontificum Innocentii, & Zosimi Et ut finem faciam, S. Irenaeus lib. 1. adversus haereses cap. 2. probat, ex consensu Ecclesiarum judicandum esse de veritate doctrinae; Ecclesia enim in universum Orbem disseminata, Fidem, quam ab Apostolis per praedicationem accepit, diligenter custodit, quasi unam domum inhabitans, ut perindè ea omnia credit, quasi unam habens animam, & unum cor.

PROPOSITIO TERTIA.

Traditio, cujus initium invenitur in Decretis Pontificum, Canonibus Conciliorum, aut Sanctiss. Patrum statutis, licèt ab Universa Ecclesia servetur, tamen non est Divina.

PRobatur: si id, cujus initium reperitur, esset Divina Traditio, oporret, ut ei, à quo principium habet, de novo sit à Deo revelatum: Sed Ecclesia non admittit novas Revelationes; non igitur illud erit a Deo traditum. Assumptio probatur: nam vel illa Revelatio nota fuit Apostolis, vel fuit ignota: si primum, eam non docentes, infidelitèr se gesserunt in exercendo Apostolatus Ministerio, ait enim Dominus: *Docete omnes gentes*; quod si ipse omnia docuit, & Apostoli docere omnia debebant, juxtà illud: *Sicut misit me Pater, ita ego mitto vos*. Si secundum, cul-

culpandus esset Christus, quod non omnia docuisset Apostolos, quae sunt ad Ecclesiae regimen necessaria: & falso etiam dixisset Johannis XVI. *Quum venerit Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.*

Hoc argumentum est Tertulliani in lib. de Praescript. cap. XXII., ubi de Gnosticis ait: *Solent dicere, non omnia Apostolos scisse, agitati dementiâ, qua versus convertunt, omnia quidem Apostolos scisse, sed non omnia omnibus tradidisse, in utroque Christum reprehensioni subjicientes, qui aut minus instructos, aut parum simplices Apostolos miserit.*

Quod autem in Ecclesia novae Revelationes semper repudiatae fuerint, probatur: primò ex illo Apostoli I. ad Timotheum VI. *O Timothee depositum custodi, devitans profanas vocum novitates, & oppositiones falsi nominis scientiae; quam quidam promittentes, circà finem exciderunt.* Accuratè hunc locum exposuit Vincentius Lirinensis in Commonitorio cap. XXI. & XXII.: primò exponit verbum illud, *depositum: quid est depositum*, inquit, *quod tibi creditum est, non quod à te inventum, quod accepisti, non quod excogitasti, rem non ingenii, sed doctrinae, non usurpationis privatae, sed publicae Traditionis.* Deinde explicans illud, *vocum novitates*, ait: *Non dixit, antiquitates, non dixit vetustates, imò planè quid è contrario sequeretur ostendit; nam si vitanda est novitas, tenenda est antiquitas, & si profana est novitas, sacrata est vetustas.*

Secundo, quia Ecclesia semper resistit novis Revelationibus in iis, quae pertinent ad Fidem, &

mores. Rejectus olim Montanus autor Sectae Cataphrygum, qui se Paracletum esse jactabat, duasque Prophetissas suâ inspiratione factas Priscam, & Maximillam, earumque revelationes venditabat, ut narrat Eusebius lib. V. historiae Ecclesiasticae cap. XV. Alios, brevitati studens, omitto. Ex quo citatus Vincentius Lirinensis lib. I. Commonitorii cap. VI. scripsit: *Mos iste in Ecclesia semper viguit, ut quo quisque foret religiosior, eò promptius novellis adinventionibus contrairet*. Hinc Summi Pontifices, & Concilia summo studio id unum adversus haereticos curarunt, ut defenderent susceptae semel Religionis integritatem. Itaque Traditiones, quarum initium reperitur apud homines, non sunt à Deo communicatae, quod erat probandum.

Quum igitur consensus Universae Ecclesiae non sit errori obnoxius in recipiendis Traditionibus, ut demonstratum est propositione II.; consequens est, nec in aliis pertinentibus ad Fidem, vel mores eam errare posse, potissimum verò in Interpretatione Sacrae Scripturae; si enim Ecclesia decipi nequit in congnoscendis Divinis Scripturis, neque falli poterit in adgnoscendo sensu Scripturarum: parum enim proderat admittere verum Evangelium, & nescire verum sensum Evangelii, secundum illud Sancti Hieronymi in Commentario ad Galatas: *Non putemus in verbis Scripturarum esse Evangelium sed in sensu, non in superficie, sed in medulla, non in sermonum foliis, sed in radice rationis*. Qua igitur lege credimus Ecclesiae dicenti hanc, non illam esse Scripturam Canonicam, eadem credere

dere debemus dicenti hunc, non illum esse Scripturae sensum, quod sanè plusquam manifestum est. Illud modo inquirendum, an ad probandum Ecclesiae consensum, sit idoneum argumentum petitum ab autoritate Conciliorum, Sanctorum Patrum, ac Summorum Pontificum. De his igitur agendum.

CAPUT TERTIUM.

De Conciliis.

Concilia in Ecclesia idem sunt, quod Comitia in Regno: quemadmodum enim Regni Comitia non aliud sunt, quam Conventus Principum, Procerum, Magistratuum in unum locum; ita Concilia sunt Congregatio Praesulum Christianorum, ut de rebus agant, quae ad Ecclesiam pertinent. Sunt autem vel ex toto Orbe coacta, & dicuntur Oecumenica, seu Generalia, vel ex uno aliquo Regno, vel Natione, ut Africana, Hispanica, & dicuntur Nationalia, vel ex una tantùm Provincia convocatis Episcopis, qui sub eodem Metropolitano constituti sunt, & dicuntur Provincialia, vel ex una Dioecesi à Presbyteris, qui ab eodem reguntur Episcopo, & dicuntur Dioecesana. Horum autem, ut dispar est convocandi ratio, ità & dispar autoritas, de quo infra.

Mos autem fuit omnium fermè haereticorum, ut quisque gravem in se Concilii sententiam expertus est, ipsi autoritatem abjudicare. Hoc ergo Arius; quum enim damnatus fuisset in Con-

cilio Nicaeno, nolens ejus definitioni acquiescere, pronunciavit, *Concilium errasse*. Idem Nestorius, qui Concilii Ephesini Decretum, quo fuerat proscriptus, opinioni suae posthabuit. Idem Dioscorus, & Euthyches egerunt cum Concilio Chalcedonensi: & Johannes Hus Bohëmus, errasse dixit Constantiense Concilium in condemnatione Wicleffi praeceptoris sui. Postremus omnium Lutherus, quum à principio Pseudo-Apostolatus, & praedicationis suae appellasset ad Concilium, formidans tamen ne congregato Concilio, venenosa sua dogmata damnarentur, docuit in libro de Conciliis, nullam prorsus esse Synodum, quae Divinae sit autoritatis. Luthero subscribit Calvinus IV. Institutionum, non eadem calliditate; praesenserat enim convocatum à Paulo III. Concilium, & conscius erat, complura ex Dogmatibus, quibus portentosa illa Reformationis machina substructa erat, jam pridem Oecumenicis Conciliis profligata fuisse. At nos Catholicam sententiam adstruamus.

PROPOSITIO PRIMA.

Concilia Generalia legitimè congregata Divinae sunt Autoritatis; Itaque argumentum ex iis desumptum in materia Fidei, aut Morum certissimum est.

PRobatur primò. Ecclesia Universa non potest errare in rebus Fidei ex probatis: atqui

qui Concilium Oecumenicum repraesentat Ecclesiam Universalem, ut docet S. Augustinus lib. 1. de Baptismo cap. 18.: unde Martinus V. in calce Concilii Constantiensis jubet, ut suspecti de haeresi interrogentur, an non credant, Concilium Generale Universam Ecclesiam repraesentare; igitur non potest Concilium errare, ejusque definitiones erunt Divinae autoritatis.

Secundo ex promissione Christi. Idem constat Matthaei XVIII. *Ubi sunt duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum.* Si igitur Dominus pollicitus est veritatis cognitionem duobus, aut tribus, qui in unum locum conveniunt, & ab eo petunt veritatis doctrinam; quantò magis docebit veritatem Episcopos Universos ejus autoritate in unum coactos? Ex Traditione autem habemus, illa Evangelii verba, exponi consuevisse de Conciliorum infallibilitate in rebus Fidei, vel Morum. Ita Concilium Chalcedonense in Epist. ad Leonem Papam: Synodus VI. Generalis actione 17.: Caelestinus in Epistola ad Concilium Ephesinum, &c.

Id confirmant praecedentia Christi verba in eodem Capite; ait enim, *si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus, & publicanus.* Nomine autem Ecclesiae intellexit corpus Pastorum, ut patet ex verbis proximè sequentibus: *Quaecunque ligaveritis super Terram, erunt ligata & in Coelo, & quaecunque solveritis super Terram erunt soluta & in Coelo.* Quum autem quaerere potuissent Apostoli quomodo scire possent, se congregatos in Concilio semper à Deo veritatem docendos; occurrit eis Dominus argumen-

to

to à minore ad majus, si enim *ubi duo, vel tres, &c.* quid ubi tota Ecclesia in unum convenit?

Tertio non minoris autoritatis esse debet Concilium, quod habuerunt Apostoli in cap. XV. Actorum, ac quodvis aliud Generale Concilium, juxtà illam normam celebratum: quamvis enim defecerint Apostoli, non tamen defecit, nec unquam deficiet Ecclesia ex verbis Christi: *Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem saeculi*; unde Chrysostomus in homilia IV. in Esajam inquit: *facilius est extingui Solem, quam Ecclesiam obscurari*. Atqui Concilium illud Apostolicum, Divinae fuit autoritatis, Scriptura enim ejus definitionem Spiritui Santo tribuit, dum ait: *Visum est Spiritui Sancto, & nobis*; ergo cetera Concilia Oecumenica, sunt Divinae autoritatis.

Quarto: quia haereses fermè omnes ex eo ortae sunt, quod non obtemperatum est legitimis Ecclesiae Pastoribus. S. Cyprianus libro 1. Epistola 3. *Neque enim aliunde haereses obortae sunt, aut nata schismata, quam inde quam Sacerdoti Dei non obtemperatur*. At in iis maximè obedire debent, quae pertinent ad sensum Scripturae, juxtà illud: *Labia Sacerdotis custodiunt scientiam, & legem Domini requirent de ore ejus:* Malachiae II. Et Matthaei XXIII. *super Cathedram Moysi sederunt Scribae, & Pharisaei, quaecunque dixerint vobis servate*; itaque obediendum est Pastoribus, tunc maximè quum nomine Ecclesiae Generalis loquuntur in Concilio; ergo tunc errare non possunt, alioqui nec eo casu tenerentur Fideles iis obedire.

Opponitur primò, quod possunt errare

omnes

omnes Episcopi etiam in unum coacti, ut patet ex illis Jeremiae verbis cap. VI.: *A Propheta usque ad Sacerdotem quisque sectatur mendacium*; si igitur Concilium nihil aliud est, quam coetus plurimum ex universo Orbe convenientium Episcoporum, jam semper poterit errare, etiamsi fuerit legitimum.

Respondeo, Pastores singulos errori subjectos esse, non autem dum omnes simul congregantur, tunc enim referunt Universam, cui Christus suum semper propitium, ac praesens numen promisit. Nec adversatur citatus textus Jeremiae; nam Scriptura interdum solet omnes arguere propter improbos aliquot, ut quum inquit Apostolus II. ad Philippenses: *Omnes quaerunt, quae sua sunt, non quae Jesu Christi*.

Secundo, opponitur Nazianzeni locus in Epist. ad Procopium, ubi ait, se nullius Concilii exitum felicem observasse.

Respondeo, Nazianzenum loqui de Synodis, quae habitae fuerint sub Constantio Imperatore Ariano, quae vel non fuerunt Oecumenicae, ut plurimae tempore Nazianzeni, in quibus Orientales convenerunt, dissentientibus Occidentalibus; vel suffragiorum libertas in iis adimebatur, ut contigit in Concilio Ariminensi, quod congregatum fuit anno 359., quodque errasse, & Arianis in specie saltèm favisse, testatur Hieronymus in Dialogo adversus Luciferianos.

Tertio opponitur Augustinus lib. III. contra Maximinum, cap. XIV., ubi concedit, se non debere laudare Concilium Nicaenum contra Maximinum, sed neque posse Maximinum adferre ad-

adversus ipsum Concilium Ariminense. Idemque S. Doctor lib. II. de Baptismo cap. 3. asserit: *Ipsa Concilia Plenaria priora a posterioribus emendari, quum aliquo experimento aperitur, quod clausum erat, & cognoscitur, quod latebat.*

At nemo fidelior erit interpres Augustini, quam ipse Augustinus. En ejus verba in Maximinium Arianorum Episcopum citato cap. XIV. *Nec ego Nicaenum tibi, nec tu debes Ariminense mihi, tanquam praedicaturus proferre Concilium; nec ego hujus autoritate, nec tu illius detineris: scripturarum autoritatibus, non quorumcumque propriis, sed utrique communibus testibus, res cum re, ratio cum ratione concertet.* Non quasi Augustinus non habeat fidem Nicaeno, sed ex abundanti ejus autoritatem omittit, ne disputare cum haeretico, teneatur de utriusque Concilii vi, & ostendere unum esse Concilium legitimum, alterum verò Conciliabulum.

Ad alterum Augustini testimonium, respondent quidam, per *Plenaria* Concilia intelligere Augustinum Concilia Nationalia, non autem Oecumenica, ut Concilium Arelatense I., quod licet non sit Oecumenicum, dicitur tamen Plenarium ab eodem Sancto Doctore, ubi direpta est controversia illa de rebaptizandis iis, qui ab haereticis baptizantur, qua Ecclesia tantopere vexata fuit.

Alii respondent, Concilia priora emendari à posterioribus in rebus facti, ut quae ad Disciplinam pertinent, non de rebus Fidei, aut morum, quod ex ipsa Augustini ratione convincitur

citur: nam in illis, non in istis verificatur, *quod experimento aperiri potest, quod clausum est, & quod latet cognosci*. Sic in Concilio Claromontano, cui praesedit Urbanus II. Can. XXVIII. prohibita est Communio sub una tantum specie Sacramenti; contrarium vero definitum est in Concilio Constantiensi Sessione XIII., ubi sub Excommunicatione prohibitum est, ne Populus sub utraque specie communicaret.

Opponitur quarto. In Concilio Nicaeno II., quod est Generale VII., definitum fuit deberi Sacris Imaginibus cultum Religiosum. In Concilio verò Francofurtensi anno 794., ubi convenerunt tercentum Episcopi Occidentales, praesidentibus quoque Legatis Apostolicis, damnatum fuit Decretum de pio imaginum cultu, latum in Concilio Nicaeno II.; ergo vel erravit Nicaenum probando, vel Francofurtense improbando Imagines.

Respondeo, ex duobus illis Conciliis, Nicaenum fuisse Oecumenicum, quippe in eo, non tantum Orientales, sed etiam Occidentales convocati fuerunt, adstiteruntque Romanae Ecclesiae Legati: Francofurtense verò non fuit Generale; in eo enim nemo interfuit ex Orientalibus Episcopis; potuit igitur aberrare in vertenda sententia Nicaenorum Patrum. Generalibus enim dumtaxat Conciliis infallibilitatem vindicamus, non etiam reliquis. At quid si dicamus, errasse Francofurtensem Synodum in quaestione facti, non autem in articulo Fidei? ita planè videbitur, si inspiciamus, caput II., ejusdem Concilii, ubi haec habentur: allata est

in medium quaestio de nova Graecorum Synodo, quam de adorandis Imaginibus Constantinopoli: ibi enim primùm, deindè Nicaeae fecerunt, in qua scriptum habebatur, ut qui Imagines Sanctorum, ita ut Deificam Trinitatem servitio, aut adoratione non impenderent, anathema judicarentur, quam omnes, qui supra Sanctissimi Patres nostri omnimodis & adorationem, & servitium respuentes contempserunt, atque consentientes condemnaverunt; itaque visum fuerat Patribus Francofurtensibus, quod Synodus illa Nicaena definiisset, Sanctorum Imaginibus eundem cultum deberi, qui Sacrosanctae Triadi exhibetur; erravit igitur in quaestione facti. Ex his autem constat falli Binium, qui in Titulo, & Notis ad Concilium Francofurtense, ait, in eo confirmatam fuisse Nicaeni sententiam.

PROPOSITIO SECUNDA.

Jure, potestas convocandi Synodum pertinet ad Ecclesiam, prout continet Animarum Pastores.

EST contra Lutherum libro de Conciliis, Calvinum lib. IV. Institutionum, & Centuriatores Magdeburgenses Centuria IV., putantes, jus convocandi Concilia pertinere ad Ecclesiam, non prout animarum Pastores, sed prout Imperatores, Reges, & Magistratus complectitur: unde colligunt, Imperatoris esse convocare Concilium Generale, Regis Nationale, Magistra-

gistratuum ea, quae in subjectis sibi Regionibus celebrantur.

Probatur nostra assertio. Quod pertinet ad spirituale animarum regimen, est omninò ex jure Ecclesiae, prout continet earum Pastores: hujusmodi autem sunt Concilia, in quibus vel agitur de rebus Fidei, vel Morum, vel Ecclesiasticae Disciplinae, quae omnia pertinent ad Ecclesiae Pastores. Hoc autem vel ipsi Imperatores agnoverunt: refert enim Sozomenus lib. VI. Historiae Ecclesiasticae cap. 7., quod petentibus Episcopis à Valentiniano Imperatore facultatem cogendae Synodi, respondit ille: Sibi, qui è Laicorum numero erat, non licere se ejusmodi negotiis interponere; & ideò Sacerdotes, & Episcopi, quibus haec curae sunt, seorsum per se, ubicunque ipsi libitum fuerit, in unum conveniant. Adde quae Hosius Corbudensis Episcopus ad Constantinum scripsit apud Athanasium in Epistola ad Solitarios: *Neque nobis in hoc genere praecipe, sed potius ea à nobis disce, & quemadmodum qui tuum Imperium carpit, contradicit ordinationi Divinae, ita & tu cave, ne, quae sunt Ecclesiae ad te trahens, magno crimini obnoxius fias.*

Opponitur, quod octo prima Concilia Generalia fuere per Imperatores convocata: nam Nicaenum I. coëgit Constantinus, ut narrat Eusebius in ejus vita lib. III.: Constantinopolitanum I. convocavit Theodosius Senior, teste Socrate lib. V. Historiae Ecclesiasticae cap. VIII.: Ephesinum, Theodosius Junior, ut tradit Evagrius historiar. lib. VI. cap. 3.; Chalcedonense

nense congregavit Marcianus Imperator, ut ipse fatetur in L. 4. C. de Summa Trinitate illis verbis: *Quae nunc de Christiana Fide à Sacerdotibus, qui Chalcedone convenerunt, per nostra praecepta statuta sunt, &c.* & notat ibidem Gothofredus per illum textum, Synodos antiquitùs coactas Imperatorum decreto. Hinc jactat Socrates Graecus rei Ecclesiasticae historicus in prooemio libri V.: *Ex quo Imperatores Christiani esse caeperunt, ab ipsis res Ecclesiasticas pependisse, ac Synodos maximas ad sua usque tempora ipsorum jussu coactas.*

Respondetur primò, segregandum esse factum à jure; ex eo enim quod factum est, non probatur, quod ità fieri debuit. Et sanè in pluribus, Christiani Imperatores interdùm modum excesserunt, & in Ecclesiasticum regimen invaserunt, ut in Ordinationibus, Translationibus, & Degradationibus Episcoporum, aut Sacerdotum, cujus rei exempla passim occurrunt apud Philostorgium, & alios historicos. Justinianus etiam de ritu sacrificandi leges ferre non est veritus; nam in Novella 137. de Ordinatione Episcoporum cap. 8. jubet, ut sivè Communio, sivè Baptismus, sivè Oblatio celebretur, Orationes palam dicantur audiente, & intelligente Populo; quod etiam Scriptura (si superis placet) evincit Theologus Tribonianus; citat enim Paulum ad Romanos X. unde ait, *corde creditur ad justitiam, ore autem fit confessio ad salutem.*

Respondetur secundo, Ecclesiam pluribus de causis permisisse, ut primis saeculis Imperatores Synodos convocarent, tum quia apud ipsos

erat summa rerum potestas, ita ut Episcopos contumaces cum minùs autoritate coërcere poterat Romanus Pontifex: ipsi, imperio in disciplina continerent. Tum etiam, quia jure Civili prohibebantur quaecumque Conventicula, vel Hetaeriae, nisi Caesaris, vel Senatus autoritate fierent L. 3. §. 1. D. de *Collegiis, & Corporibus*; unde Tertullianus in libro de jejunio adversus Psychios excusans Christianorum Conventus ait: *Nisi forte, in Senatus-consulta, & Principum mandata coitionibus apposita delinquimus*. Plinius Epistola 97. ad Trajanum lib. X. loquens de Conventibus Christianorum: *quod ipsum*, inquit, *facere desiisse post Edictum meum, quò secundum mandata tua Hetaerias vetueram*. Tum denique; nam quum Ecclesiae admodum pauperes essent, vix suppetebat Episcopis, ut Viaticum solverent longis itineribus ad Concilium acciti. Convocante autem Imperatore, dabantur ipsis vehicula, & alimenta, erat igitur veluti mutua quaedam gratificatio. Quid majus est jure eligendi Romani Pontificis: tamen in Concilio Lateranensi ab Hadriano I. fuit Carolo Magno concessum, ob expulsos Italiâ Longobardos. Can. *Hadrianus* distinct. 63.

Hinc colligitur responsio ad alteram, quae fieri posset, difficultatem, cur scilicet non declaravit Ecclesia, illa octo priora esse Conciliabula; quandoquidem ut Concilium sit legitimum requiritur in primis, ut Ecclesiastica potestate congregetur. Multa enim sunt, quae ea Concilia legitima esse demonstrant. Primo quod sunt ab Imperatoribus convocata, sed ex consilio Ecclesiae, ut de

Nicaena Synodo loquens Rufinus lib. 1. cap. I. apertè fatetur, eam ab Imperatore convocatam ex sententia Sacerdotum. Secundo, quia Episcopi facto declararunt, se consentire in Imperatoriam convocationem, praesertim Summi Pontifices, qui in omnes illas Synodos miserunt Legatos, qui ibi praesiderent. Tertio, quia Ecclesia, quae est *firmamentum veritatis*, & tunc, & sequentibus saeculis approbando definitiones Fidei in eisdem Conciliis factas: clarè nimis ostendit, nihil in iis actum, quod non fuerit legitimum.

PROPOSITIO TERTIA.

Jus cogendi Synodos Oecumenicas Solius Romani Pontificis; sed in quibusdam casibus convenit etiam aliis.

PRima pars dupliciter probari potest, rationibus scilicet, & exemplis. Rationibus autem hic supersedemus, quoniam omnes ex illo Articulo dependent, an Romanus Episcopus sit Caput Ecclesiae Catholicae, quòd inferiùs agitabimus. Quod attinet ad exempla, ea manifestè suggerunt historiae: nam praeter illa octo priora, cetera Concilia Generalia, Summi Pontifices convocarunt. Et quidem Lateranensia omnia, quot fuerunt Generalia, congregata fuisse jussu Episcoporum Urbis, nemo, cui cor sapit,

pit, in dubium adducere potest: videamus, quid de reliquis fuerit.

Sanè quicunque consulet Epistolas iisdem Conciliis praefixas, animadvertet, Concilium Lugdunense primum actum fuisse ab Innocentio Quarto; Lugdunense Secundum à Gregorio Decimo; Viennense à Clemente Quinto; Constantiense à Johanne Vicesimo tertio; Basileense à Martino Quinto; Tridentinum à Paulo Tertio, & quod magis est, Graeci Romanae Ecclesiae perpetui obtrectatores, antequam in schismate se obdurarent, interfuere Conciliis à Papa convocatis, ut Lugdunensi Secundo, & Florentino. Imò quum in hoc ultimo contendere caepissent actione 25., non posse Papam convocare Synodos, absque Imperatore; haec exceptio à Latinis rejecta fuit, & idem Eugenius respondit; autoritatem sibi esse, ac facultatem convocandi Synodum Oecumenicam, ubi opus fuerit, & omnes Patriarchas parere ejus voluntati.

Secunda pars probatur numerando casus, quibus possent alii Synodum Generalem congregare. Primus casus est, si Papa sit haereticus, & apostata: sivè notoriè, quo casu Ecclesia non posset ipsum tolerare, neque enim est successor Petri, qui non manet in fide Petri, juxtà notata in Canone *si Papa* dist. 40., & Can. *sunt quidem* 25. quaest. prima: sivè occultè, & tunc idem Papa requiri deberet, ut Concilium convocaret, id si abnueret, augeret suspicionem, qua urgebatur; imò tacitè se ipsum damnare videretur. Glossa in Can. *Anastasius* distinct. 19.

Secundus est casus, si duo de Papatu contendunt; tunc enim ita distinguitur, vel aliquis est in possessione, & debet ab ipso peti, ut Generale Concilium convocet, ubi ejusmodi lis dirimatur: quod si detrectet, illud jus erit penès Cardinales: ubi enim Ecclesiae Universali periculum aliquod imminet, & qui in possessione Papatus est, renuit illi obviam ire, tenentur ejus negligentiam supplere, qui proximum gradum occupant, quia quum duo Ecclesiam lacerarent, Benedictus Decimus Tertius, & Gregorius Duodecimus, Cardinales Schismatis pertaesi convenerunt Pisis, ubi coacto ex pluribus Episcopis Concilio, utrumque Antipapam in jus vocarunt, & utroque ex Pontificatu ejecto, Pontificem crearunt Alexandrum V.

Vel nemo est in possessione, & tunc jus congregandi magnam Synodum ad ipsos Cardinales spectat: eo enim casu Romana Sedes vacare censetur, itaque qui eam pro tempore moderántur, tenentur omnia experiri, ut viduatae Ecclesiae prospiciatur, nihil autem opportunius Concilio. Haec autem omnia apertè deprehenduntur in Concilio Constansiense, quod caepit celebrari anno 1415., finemque habuit anno 1418. quum vexaretur Ecclesia pluralitate Pontificum. Johannes Vicesimus tertius, qui in possessione erat, Concilium congregavit Constantiae, ibique, lecta Bulla Convocationis, idem Johannes promisit, vovit, ac juravit, se cessurum Papatui, si ita visum esset Concilio, ad pacem Ecclesiae servandam. At quum deinde furtim Constantia discessisset, ne cogeretur stare pro-

promissis, Concilium, absente Papa, agnovit se pro Oecumenico, & declaravit se potestatem habere immediatè à Christo, cui quilibet, etiam si Papalis dignitatis existat obedire teneatur. Postmodum pronunciata fuit adversus ipsum Johannem sententia depositionis, tanquam contumacem, fautorem schismatis, perjurium, simoniacum, aliisque nominibus criminosum; quam sententiam idem Johannes scriptam approbavit, neque distulit palam se abdicare Pontificatu. Vide Cabassutium in notitia Conciliorum.

PROPOSITIO QUARTA.

Laici jus suffragii in Conciliis non habent.

Lutherus cum Magdeburgensibus, contendit, Christianos omnes, non tantum Ordinem, sed etiam plebem esse advocandos ad Concilium, & habere jus in eo ferendi suffragii, seù judicii definitivi. Ex opposito Catholici sentiunt, ad solos Episcopos id pertinere ex Divina institutione, seù vi characteris Episcopalis, quo signati sunt. Hoc tamen jus ex privilegio, sivè Ecclesiae permissu convenire Abbatibus, Cardinalibus, & Ordinum Praepositis Generalibus.

Probatur: omnium Conciliorum exemplar illud esse debet, quod habitum fuit ab Apostolis Actorum XV.: At in eo Laicorum nullus sententiam dixit, soli verò Apostoli post institutum examen loquentes inducuntur, ut ubi

 dici-

dicitur : *Tacuit autem omnis multitudo, & audiebant Barnabam, & Paulum narrantes, &c.* ergo jus suffragii pertinet tantum ad Episcopos, qui vices Apostolorum gerunt. Et quamvis interdum legatur mulieres, & Mariam Christi Matrem adfuisse Confessibus Apostolorum, ut in electione Mathiae, *Actorum I.*, nunquam tamen quidquam dixisse, vel judicasse reperias, quum iis claves Regni Coelorum non sunt commissae. Vide textum in cap. *nova quaedam de Poenitentiis, & Remissionibus.*

Praeterea Traditio, quae ex probatis est fidissima Religionis custos id manifestum facit: nec ab ipsis Ecclesiae primordiis unquam Laici homines ad haec usque tempora habuere in Conciliis jus suffragii decisivi, nec poterunt Sectarii unum aliquod proferre Concilium, ubi id in usu Ecclesiae fuisse ostendatur. Ex contrario verò afferre possumus Synodorum Acta, quibus evincitur, Laicis nec interesse Concilio Calcedonensi, quum Dioscorus Alexandrinus Monachorum, & Laicorum turbam ex Aegyptio secum adduxisset, clamarunt Episcopi; *Emitte foras superfluos, Concilium Episcoporum est.*

Rude autem est argumentum, quod ex eo sumitur, quod saepè in Actis Apostolorum legitur: *Convenerunt Apostoli, & Seniores videre de verbo hoc, &c.* & Epistola Synodica ita inscripta est: *Apostoli, & Seniores Fratres his, qui sunt Anthiochiae, & Syriae, & Ciliciae Fratribus salutem*. Etenim vel pueri monent, quod Senior, Graecis est Presbyter; & quamvis in Veteri Testamento Seniores interdum eos significant,

ficant, qui aetate provectiores erant: in Novo tamen Testamento Presbyteri passim cum Episcopis confunduntur; sic in cap. XX. Actorum qui versu 17. dicuntur *Presbyteri*, versu 28. appellantur *Episcopi*; non quia eadem erat in Presbyteris, ac in Episcopis potestas; sed forte ex eo, quod qui Presbyteri fuerant, iidem Episcopatus potestate pollebant, quum rari admodum prima illa aetate Ecclesiae Ministri inveniri potuerint, qui & Presbyteri & Episcopi functiones sejunctim adimplendas assumpserint. Ita sane intelligendus Hieronymus in Caput I. Epistolae ad Titum. Ita etiam intelligendum est illud in Can. *olim* dist. 95.: Olim idem erat Presbyter, qui & Episcopus: Idemque est, quod in Can. *legimus* distinct. 93., notat Antonius Augustinus lib. 1. de emendatione Gratiani Dialogo XV., de quo alibi agendum est; igitur Apostoli, & Seniores sunt Apostoli, & Episcopi ab iis per Civitates constituti.

Postremo id probatur, quia definire ea, quae ad Fidem, vel mores regendos pertinent, est ex jure docendi: quod est ex jure docendi pertinet ad munus Pastoris: munus autem Pastoris non Laicis datum est, sed Episcopis, secundum illud Apostoli ad Ephesios IV.: *Alios autem Pastores, & Doctores, &c.*, & Actorum XX. idem sic concionatur versu 28.: *Attendite vobis, & universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo*: Unde olim Doctoris disputare, aut ea docere. Synodus sexta in Trullo Can. 64., Concilium Caesarau-

gustanum cap. VII. idemque testatur Alexius Commenus Imperator in Novella de Doctoribus lib. 1. juris Orientalis: *Potestatem docendi populum solis Episcopis datam esse, & magnae Ecclesiae Doctores Patriarchae jure docere, &c.* Vide Thomasinum part. 2 de Veteri Ecclesiae disciplina lib. 1. cap. 92. num. 12.: nullo igitur pacto Conciliares definitiones à Laicorum judicio pendent.

Opponitur Epistola quaedam Nicolai Primi ad Michaelem Imperatorem, in qua haec habentur: *ubinam legistis, Imperatores antecessores vestros, Synodalibus Conventibus interfuisse? Nisi forsitan, in quibus de Fide tractatum est, quae universalis, & quae omnium communis est, quae non solum ad Clericos, verum etiam ad Laicos, & ad omnes omninò pertinent Christianos.* Extat apud Gratianum in Can. IV. distinct. 96., unde fit, ut si res Fidei aequè ad Laicos pertinent, atque ad Clericos, suffragia in Concilio ab utrisque ferenda sunt.

Respondet Bellarminus, verum quidem esse, Fidem spectare ad omnes, sed non eodem modo, ad Clericos, uti Doctores, ad Laicos; uti Discipulos. Sic quum causa belli communis est, ea pertinet ad omnes; at non singuli milites in consiliis adhibentur, ut quid pro rerum opportunitate sit gerendum statuant, sed tantum Praefecti; ita licet, dum res Fidei agitantur, de communi caussa disceptatur; non tamen Laici, sed Clerici ad dirimendas controversias admittentur. Debent igitur Principes caussam Fidei, tamquam communem tueri, non

ta-

tamen ut Pastores, & Doctores. En quid Theodosius junior in Epistola ad Ephesinam Synodum de se ipso loquitur: *Illicitum est eum, qui non sit in ordine Sanctorum Episcoporum, Ecclesiasticis immisceri tractatibus.*

Itaque exclusis Laicis possunt de cetero alii Clerici, maximè doctiores Conciliis adesse, imò & praeesse, ut Apostolicae Sedis Legati, etiam non Episcopi, ut factum deprehenditur in Concilio Nicaeno Secundo: ubi Adriani Papae loco praefuerunt Abbas quidam Monasterii Sancti Sabae, & duo alii, unus Presbyter, alter Archipresbyter. Sic Lateranense Concilium habitum, praesente Carolo Magno, celebratum fuisse dicitur à centum quinquaginta tribus Episcopis, Religiosis, & Abbatibus, Can. *Hadrianus* distinct. 63. cap. 22.

Opponitur deindè textus Innocentii V. in cap. II. *de sententia, & de re judicata* in sexto, ubi in haec verba Pontifex protestatur: *Parati eramus vocare Reges, Praelatos, & Principes, tàm Ecclesiasticos, quàm Saeculares ad aliquem tutum locum, ubi per se, vel per solemnes nuncios convenirent*. Ergo, ne dicamus Papam esse simulatorem si ea, quae pollicebatur, opere impleturus fuisset, omnes erant ad Concilium vocandi, etiam Laici.

Respondeo, in eo Consessu, qui a Papa designatur, non fuisse definiendas quaestiones Fidei, sed potius quaedam in facto posita discutienda. Quum enim Fridericus Secundus, adversus quem Innocentius invehitur, Ecclesiam vehementer agitaret, ait Pontifex, quod si in ali-

aliquo injuriam sibi factam ostendere posset, ipse paratus erat convocare Reges, Praelatos, Principes, &c., ut publicè ei satisfaceret, & latam excommunicationis sententiam revocaret; non igitur ibi Concilium, sed potius Conventus politicus, in quo & Laici, & Clerici judicarent, uter esset in jure suo laesus, Ecclesia ne, an Imperator; adeoque nihil haec ad Concilia Ecclesiastica, de quibus agimus, ubi Fidei capita firmanda sunt, & ab haereticorum machinationibus vindicanda.

CAPUT QUARTUM.

De Autoritate Sanctorum Patrum.

QUod attinet ad Patrum autoritatem, praeter ea, quae Protestantes effutierunt, de quibus mox, duo sunt extrema vitanda, quae etiam Catholici frequentarunt: primum est, sententias Patrum paris fermè ponderis esse, ac Divinas Scripturas, eorum dicta aequari quoad autoritatem Conciliorum statutis, & Pontificum Romanorum decretis. Ita Glossa in Can. *Noli* distinct.9., inconsiderate pronunciat: *Scripta Patrum hodie jubentur teneri usque ad ultimum jota.* Et meritò reprehenditur à Melchiore Cano lib. VII.deLocis Theologicis cap. VII. num. 4., & Alphonso de Castro lib. 1. adversus haereses cap. 7. Novissimè Alexander Octavus similem castigavit ineptiam in propositione damnata 30. dicente: *Ubi quis invenerit doctrinam in Augustino clarè fundatam, illam absolutè potest tene-*

re,

re, & docere, non respiciendo ad ullam Pontificis Bullam.

Hoc autem tum facto ipso refellitur, quum deprehendamus, Patres ferè singulos errasse, & quosdam etiam in materia Fidei, homines enim fuere, adeoque humana omnia ipsis contingere poterant, ut facilè eorum scripta legendo potest quisque animadvertere. Tum quia in nonnullis sibi contradicunt, & ita quum una sit veritas, necesse est aliquos à veritate aberrare. Tùm deniquè; nam ipsi Patres alitèr de se judicant, & in specie S. Augustinus Retractationum libros scripsit, & in libro IV. de origine animae cap. I., inquit: *Negare non possum, nec debeo sicut in ipsis majoribus, ita multa esse in tam multis opusculis meis, quae possint justo judicio, & nulla temeritate damnari*. Egregium etiam est Hieronymi judicium Epistola XIX. sed quia longiusculum est, describere omitto.

Ex oppositio alii liberè in Sanctos Patres invecti, eorum errata non reverenter, ut par fuisset, excusarunt, sed acritèr perstrinxerunt, quo nomine malè audiunt Cajetanus Praefatione in Pentateuchum, Petavius in Notis ad Epiphanium, Maldonatus Commentario in Evangelia, & alii, quod sanè neque modesti hominis est. Patrum enim nostrorum pudenda non detegere, aut deridere debemus, imitati Cham, qui meritò fuit a Patre Noë maledictus; sed potiùs, ut morigeri filii Sem, & Japhet pallio operire, eorumque honestati consulere. Ita S. Augustinus lib. VII. de Baptismo contra Donatistas cap. 2. errorem S. Cypriani de Rebaptizazione recensens, ita lo-

qui-

quitur: *Reddens debitam reverentiam, dignumque honorem, quantum valeo, persolvens pacifico Episcopo, & glorioso Martyri Cypriano; audeo tamen dicere, eum aliter sensisse de schismaticis, vel haereticis baptizandis, quam postea veritas prodidit.* Sanctus etiam Thomas modestissimè semper de Patribus loquitur, etiam quum errores minus sunt excusabiles, ut III. parte, quaest. 27. artic. 4. & alibi.

At verò Calvinistae, rem eò perduxerunt, ut penè omnis autoritas sit Ecclesiae Patribus derogata. Andreas Rivetus, & Johannes Dallaeus Minister Charentonensis in libris editis *de usu, & autoritate Patrum*, conati sunt ostendere, non tantùm singulos magno livore excutientes, omnia ipsorum errata, sivè in historia, sivè in grammatica, sivè in Philosophia, sivè in aliis disciplinis, prodiderunt, praesertim Augustini, Irenaei, Hilarii, Epiphanii, Athanasii, Hieronymi, ne quid dicam de Origene, de quo olim, dictum: *ubi benè nemo meliùs, ubi malè, nemo pejùs*; vel de Lactantio, cujus errores supra sexaginta recensuit Antonius Raudensis, *quum esset magis librorum Ciceronis, quam Sanctarum Scripturarum eruditus*, inquit Bellarminus. Sed quod rei caput est, nituntur evincere praefati Protestantes, omnes etiam conjunctim potuisse errare, & reipsà cunctos simul Patres aliquo saeculo in Fide lapsos fuisse. Quum autem improbus eorum labor ad vertendos complures Catholicae Religionis Articulos vehementer contendat; magnum erit operae pretium, si

eum

eum irritum reddamus, & inanem. Quum his igitur congrediamur.

PROPOSITIO UNICA.

Etsi Patres seorsum singuli errare potuerunt in rebus Fidei, non tamen omnes conjunctim.

PRobatur: multa sunt ad Fidem pertinentia, quae plebs ignorat, adeòque eorum cognitio, ac certitudo manet penès Patres, & Doctores Ecclesiae: si igitur Patres, & Doctores Ecclesiae universi potuissent in his Fidei capitibus errare, jam tota errare potuisset Ecclesia, quod est falsum ex supra traditis. At ponamus jam Patres in aliquo Fidei articulo errasse, is certè error, non ex alia causa oriri potuisset, nisi ex erronea interpretatione Scripturae: Sed non possunt omnes Ecclesiae Doctores decipi in falsa expositione Scripturae; ergo nec errare in articulo.

Assumptio probatur firmissimo argumento Melchioris Cani lib. VII. de locis conclusione 5. Duo sunt quae Christus Ecclesiae promisit, eique nunquam deerunt, spiritus scilicet, & verbum: per Isaiam Deus iis verbis praenunciat: *Spiritus meus, qui est in te, & verba mea, quae posui in ore tuo, non recedent de ore tuo, & de ore seminis tui amodò usque in sempiternum.* Constat autem apud omnes, qui vel mediocriter sacris literis sunt imbuti, seminis nomine, Chir-

sti

ftû Ecclefiam Fidelium intelligi; igitur ambo in Ecclefia femper conjuncta erunt, Verbum Dei hoc eft Sacra Scriptura, & Spiritus, hoc eft fenfus ejufdem; ergo quemadmodum non potuerunt omnes Sancti Patres admittere aliquem librum apocryphum pro Canonico, vel Canonicum velut apocryphum reijcere, quia fic defeciffet in Ecclefia Verbum Dei; ita non potuit fpiritus, feù vera interpretatio deficere: nihil enim prodeft Verbum confervari, nifi recta ejus habeatur expofitio. Quum autem hujufmodi facultas in Ecclefia non fit apud omnes, fed apud Patres tantum, & Doctores; fequitur fi hi potuerunt errare, totam fimul Ecclefiam errare potuiffe, quod eft impoffibile.

Praeterea ubicumque eft Ecclefiae corpus, ibi eft fpiritus veritatis, ut Chriftus ait Johannis XIV.: *Ego rogabo Patrem, & alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobifcum in aeternum fpiritum veritatis*: Spiritus autem in corpore non eafdem tribuit functiones omnibus corporis partibus, ut elegantèr differit Apoftolus ad Romanos XII., & I. ad Corinthios XII. *Aliis datur per fpiritum fermo fapientiae, aliis Prophetia, aliis interpretatio fermonum, &c.* Certum autem eft, quod Sacrarum Literarum intelligentia, fi quibus data eft, ea Sanctis Doctoribus per fpiritum data credenda eft; qui igitur fpiritum veritatis in interpretatione Scripturae negat Sanctis omnibus, idem manifeftè fpiritum veritatis aufert ab Ecclefia, quemadmodum munus videndi oculis tollit, qui reliquas etiam omnes corporis partes obfcurat;

Nam

Nam si oculus, ut Christus inquit, non fuerit lucidus, totum corpus tenebrosum erit.

Hinc S. Augustinus, cujus autoritate maximè Dallaeus abutitur, libro I. contra Julianum cap. 6. intelligens, Pelagianos abuti testimonio S. Johannis Chrysostomi, negat potuisse tantum Ecclesiae Doctorem diversa ab aliis sentire, negat aliam esse potuisse mentem ab Hilario, Cypriano, Basilio, Nazianzeno, Ambrosio, Innocentio, subijcitque haec verba: *alia sunt, in quibus inter se aliqui etiam doctissimi, atque optimi regulae Catholicae defensores, salva Fidei compage non consonant, & alius alio de una re melius aliquid dicit, & verius*: hoc autem unde nunc agimus, ad ipsa Fidei pertinet fundamenta.

Opponit Dallaeus. Patres, imo Patrum principes in nonnullis Fidei capitibus defecerunt, Augustinus censuit Eucharistiam esse necessariam infantibus: Templa Angelis non esse construenda: omnia Peccatorum, aut Infidelium opera esse peccata: mortuos nescire quid hic agatur, dum agitur, sed audire postea ab iis, qui hinc ad eos pergunt: negavit simulacrum Dei posse in Templo collocari: dubitavit an Sol, & Luna essent animata, & pertinerent ad Ecclesiam, &c. Athanasius putavit adorari esse solius Dei, expunxit à Sacrorum Librorum Canone Sapientiam, Ecclesiasticum, Judith, Esther, & Tobiam, quod & fecit Cyrillus. Hilarius existimavit, corpus Christi non sensisse dolores, animas esse corporeas, sensit quoque cum Chiliaistis, ut & Jrenaeus. Hieronymus negat Dei pro-

providentiam curare inanimata, & insecta: negat Christianorum in peccato morientium poenas fore aeternas: animis Sanctorum tribuit omni praesentiam: ait, Petrum simulasse, quum fuit à Paulo reprehensus; Paulum vero interdum erroris coarguit, &c. Errores Epiphanii, Petavius ejus interpres passim detegit, & refellit, & sic de aliis. Quum igitur erraverint singuli in Articulis Fidei, quid ni potuerunt in uno, eodemque articulo universi alucinari? Si vetustiores, & celebriores lapsi sunt in rebus Religionis, quid est à ceteris expectandum quorum longè minor est autoritas, vel fama? ineptum autem est, quod Romanenses Theologi respondent, aliam esse rationem singulorum Patrum, aliam universorum, errare poterant singuli, non autem omnes: Nam idem hoc est, ac si quis postquam concessit singulos Senatores posse aegrotare, negaret tamen Senatum universum posse communi quodam, & epidemiali morbo laborare.

Respondeo, nos concedere, aliquos in Sanctis Patribus errores deprehendi posse, licet non tam multos, quam vult Dallaeus; quidam enim, quos eis affingit, vel errores non sunt, vel sunt errores non in Fide, sed vel in Philosophia, vel in Metaphysica: undè meritò arguitur, ipsum studio partium abreptum, plura in Sanctis Patribus notasse, quam oportebat, ut quibus morbus incidit regius, omnia Lutea videntur, nec tam Patrum errores, quam Patres ipsos allatrare voluisse putandum est. Profecto ad id, quod de Augustino objicit; S. Doct. nequa-

quamquam actualem Eucharistiae sumptionem parvulis baptizatis, ad salutem esse necessariam, asseruit; sed tantum contra Pelagianos, parvulos absque Baptismo decedentes, a vita aeterna alienos esse, probavit ex veritate Christi: *Nisi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus Sanguinem, non habebitis vitam in vobis*. Ex quibus Salvatoris, verbis optime colligebat Augustinus, absurdum esse illud Pelagianorum commentum, quo vitam felicem Parvulis spondebant extra Regnum Coelorum. Ad id quod additur ex Augustino de Angelis disserente: idem Pater ostendit, Templa non Angelis proprie consecranda, sed Deo potius in memoriam, honoremque Angelorum. Vide Petavium de Angelis lib. II. cap. 9. §. 6.

Quod inde Dallaeus Augustino imputat de mortuis, falsum est: Audiatur si quidem ipse Aug. in lib. de Cura pro mortuis gerenda Cap. XV, & XVI., ubi dicit mortuos ex sese nescire, *quid hic agatur; sed vel ab Angelis audire posse, vel revelante spiritu Dei*: quod idem est, ut Gregorius lib. XII. Moralium Cap. 14. explicat, ac eos nostrarum rerum notitiam ex Dei claritate capere. Deinde etiam falsum convincitur, Augustinum dubitasse, an Sol & Luna essent animata; quum in lib. XIII. de Civitate Dei in illud propendeat, quod sideribus animam neget; & lib. II. Retractat, cap. 7. recensens libros contra Faustum ait: *In decimo quarto de Sole, & Luna talia dicta sunt, tanquam sentiant, & ideo tolerent vanos adoratores suos: quamvis verba ibi accipi possint ab animali ad inanima-*

le translata modo locutionis , qui vocatur graece metaphora . Quod de simulacro Dei subdit Dallaeus, illud negavit Augustinus , posse in Templo collocari ad exprimendam Dei naturam, quo sensu quidem nefas est : siquidem summae dementiae est, Deum velle figura corporea exprimere : Tandem Augustinum calumniatur Dallaeus, quum dicit, a S. Doctore doceri, omnia peccatorum, aut infidelium opera esse peccata : quandoquidem idem Aug. suam mentem explicat lib. V. de Civit. Cap. 12. ubi de V[illegible]bus Romanis inquit : *Unde intelligi potest quem finem volebant esse virtutis , & quo eam referebant , qui boni erant , ad honorem scilicet* . Illud igitur bonum carpit in infidelibus , quod pravo fine turpatur . Usque modo a calumniis Dallaei Augustinum vindicavimus ; restat, ut aliquos Patres in vero sensu explicemus, Athanasius putavit adorari solius Dei esse , si cultum *Latriae* spectemus soli Deo debitum : & quoad Scripturae libros, quos Adversarius expunxisse dicit a Canone , ut & fecit Cyrillus , legendus est Melchior Canus lib. II. de loc. Cap. 11.

De S. Hilario dicimus, eum de Christi Divinitate agentem adversus Arianos, sensum doloris ab ipsa Divinitate tantum removisse, ut patet ex Cap. XXXI. in Matthaeum contra Arianos , & ex lib. X. de Trinitate . Nec idem S. Doctor. Animam corpoream putavit , ut falso appingit Dallaeus ; nam ex Tractatu in Ps. 118. lib. X. num. 7. expresse dicit ; *Est igitur in hac rationabili & incorporali Animae nostrae sub-*

ſubſtantia primum, quod ad imaginem Dei factum eſt. Itaque neque ipſe neque Jrenaeus cum Chiliaſtis ſenſit.

Demum perperam Calumniator, varios Hieronymo affingit errores: nam ubi in Comment. in Habacuc Cap. 1. de propria individui cujuſquam providentia agit, eam Deo non negat, ſed curam dumtaxat benevolam illam adhiberi brutis, & inanimis, quae hominibus a Deo adhibetur. Quoad poenas attinet damnatorum, eas aeternas eſſe firmiſſimè credidit Hieronymus in Cap. XXV. Matt. ubi aperte ſcribit. *Prudens lector attende, quod & ſupplicia aeterna ſint, & vita perpetua metum deinceps non babeat ruinarum*. Et haec ſatis modo ſint ad Hieronymum vindicandum: Legantur reliqua, quae reſtant in Panopia adverſus Haereſes II. ſaeculi Diſſert. 18. Ar. 1. Natal. Alex., & in Hiſt. Saeculi 4. cap. 6. num. 10. uſq. ad 13. Interim pro reſponſione, negamus potuiſſe univerſos PP. errare in aliquo Articulo Fidei: & quod calumniatur de Senatu, qui poteſt aegrotare totus, ſiquidem poſſent aegrotare ſinguli, hoc pacto à nobis diluitur, ſi Deus hujuſmodi Senatui immunitatem à morbo pollicitus eſſet, quando Deus verax eſt, poſſent; quia igitur promiſit Eccleſiae ſpiritum veritatis, adeoque immunitatem ab errore, poterunt Patres, per quos Spiritus Dei docet Eccleſiam ſuam omnem veritatem, errare ſinguli, ſed non poterunt ſimul univerſi.

Urget Dallaeus, non tantum unus, duo, vel plures, ſed etiam omnes ejuſdem ſaeculi Doctores errarunt unum, eundemque Fidei erro-

rem : Nam omnes ejusdem saeculi Patres, imò ejus, quod Apostolicis temporibus fuit proximius, senserunt cum Chiliastis, seu Millenariis, qui decepti loco Apocalypsis Cap. XX. *Et regnaverunt cum Jesu mille annis*, putarunt post Resurrectionem, Christum in carne cum Sanctis regnaturum per mille annos in voluptatibus, in gemmea Jerusalem cum gloria, & uberrima rerum omnium copia, qui error Cerintho haeresiarchae originem debere dicitur; Ita sensit Sanct. Justinus in Dialogo cum Triphone, ubi ait, *plerosque omnes illius saeculi Doctores in eadem sententia fuisse*. Ita S. Iraeneus, Papias Hieropolitanus, Apollinaris; proxima aetate idem sensit Tertullianus, deindè Victorinus, Lactantius, Sulpitius Severus, aliique; adeo ut S. Hieronymus non ausus sit eam sententiam penitus damnare, ait enim: *Quia multi Ecclesiasticorum virorum, & Martyres ita dixerunt, & unusquisque in suo sensu abundat*. At, quod spes illa Chiliastarum merum delirium fuerit, nemo hodie dubitat, & affatim demonstrarunt olim Dionysius Alexandrinus, Gregorius Nazianzenus, & Gennadius Massiliensis, ut tradit Trithemius in libro de Ecclesiasticis Scriptoribus.

Urget praeterea in eundem errorem, quod scilicet in ultima die, ignis omnes homines resuscitatos expiabit, etiam improbos, consentiunt Hilarius, Lactantius, Augustinus, Hieronymus, Ambrosius, Caesarius Arelatensis, Eusebius, Emissenus, Eligius Noviomensis, aliique, ut ipse Bellarminus agnoscit lib. II. de

Pur-

Purgatorio Cap. 1. §. 1.: unde fortasse est, quod scripsit Efrem Syrus in libello de variis Inferni tormentis, quod damnati exclamabunt invocantes Sanctos Omnes: *Salvete omnes Sancti, salvete Apostoli, Prophetae, ac Martyres, salvete Patriarcharum coetus, salve Monachorum agmen, salve & tu Domina Sancta Dei Genitrix Virgo*. Atque hinc etiam illud videtur derivasse, quod plurimi sancti Patres preces pro damnatis approbarunt, & velut utiles commendarunt, Johannes Chrysostomus homilia LXII. in Johannem, & alibi, S. Augustinus in Enchiridio Cap. CX., Damascenus in Oratione de his, qui cum fide decesserunt, Prudentius, aliique.

Insuper urget, communem fuisse sententiam, animas Sanctorum statim à morte, & ante Resurrectionem, Dei visione non frui. Ita Clemens Romanus, Justinus Martyr, Irenaeus, Tertullianus, Origenes, Chrysostomus, Lactantius, Theodoretus, Victorinus, Prudentius, Ambrosius, Oecumenius, Theophilactus, Bernardus, & Johannes Vicesimus Secundus, ut notat Stapletonus de scripturae autoritate contra Witakerum lib. 1. Cap. 2. sectione 5. Tamen in Florentino Concilio magna conquisitione facta, ut Fidei dogma definitum est, Justorum animas ante diem Judicii Dei visione frui; consensus igitur Patrum ad res Fidei stabiliendas, nullius est autoritatis.

Respondeo: quod attinet ad fabulam Regni Millenarii, per Christum in terram regendi post Resurrectionem, non fuisse communem sententiam Patrum, ut testatur idem Justinus,

cujus autoritate Dallaeus abutitur, ait enim, plurimos sua aetate contrariam opinionem propugnasse. Constat quoque ex Ecclesiastica historia, fuisse Dionysium Alexandrinum, qui floruit post Justinum, sed non integro saeculo. Ipso junior est, Egyptium quemdam Episcopum nomine Nepotem, qui hanc de Millenario Christi Regno fabellam praedicabat, tamquam Novatorem exagitasse; quod satis suadet, sententiam illam fuisse Ecclesiae Fidei adversam, & doctrinae à majoribus acceptae.

Eadem est respondendi ratio omnibus argumentis, quae Dallaeus intorquet; Nunquam enim efficiet, ut omnes prorsus Patres in eundem errorem impegerint, quod improbi post Resurrectionem, igne sint expiandi; paucorum fuit error, sed certe non fuit neque Hilarii, neque Hieronymi, neque Augustini, neque Ambrosii, ut probat Bellarminus loco in objectione adducto; qui inquit, adductos PP. videri sano modo intelligi posse: Nam aliqui eorum per ignem non intelligunt ignem Purgatorium, sed ignem divini judicii, quomodo loquitur Paulus in priori Epistola ad Cor. Cap. III. quum ait; *Uniuscujusque opus quale sit, ignis probabit*. Sed esto aliqui errarint hac in re, ut Origenes, & sit error, si malit etiam complurium, non autem est omnium; idque satis est pro nostra conclusione tuenda. Quod Animae Sanctorum ante judicium novissimum, non gaudeant visione beatifica, communem sententiam fuisse, falsum est: contrarium enim docuere Chrysostomus, Augustinus, Hierony-

ronymus, Theodoretus, Ambrosius, Bernardus; & callidè nimis Calvinianus Minister eos ad partes suas trahere conatur, hoc enim dumtaxat praefati Doctores senserunt, beatitudinem consummatam, quae ab Anima in Corpus derivatur, differri ad tempus generalis Resurrectionis, quum totus homo beatus erit, quod nostrarum partium Theologi luculenter ostenderunt.

Insurgit iterum. Sententia Patrum plerumque incerta est, & ambigua; sed & si certo de ea constaret, non est infallibilis, nec extrà erroris aleam constituta. Veritas autem Religionis debet certissimè constare, ut in ea possit animus acquiescere, propositum autem sic probat. Duo sunt locorum genera, quae apud Patres occurrunt, vel enim, ut testes narrant ea, quae Ecclesia sua ipsorum aetate credebat, aut gerebat, vel ut Doctores, quid ipsi sentiant, exponunt: neutra autem specie infallibiles esse poterunt; nam dato, quod dum de jure disputant, vel nunquam, vel rarissimè errant, ubi tamen de facto agitur, falli, & errare possunt: at scire quis fuerit Ecclesiae sensus singulis aetatibus, cognitio est facti, non juris, historiae est, non Fidei caput; itaque eorum testimonia in hoc genere, non sunt absolutè vera.

Confirmat hoc Dallaeus, primo exemplo Philastrii Brixiensis Episcopi, qui in Cathalogo haereseon multa recenset, quae ab Ecclesia, fuisse damnata, ab omni veri specie abhorret, ut Cap XLI. tamquam haereticos notat eos, qui

Epistolam ad Hebraeos Pauli esse negant: Cap. 79. haereticos eos insimulat, qui negant omnes Psalmos ab uno Davide fuisse compositos: Cap. 82. pronunciat, contrarium esse Fidei Catholicae putare, Stellas esse Coelo infixas, non autem in vesperum è locis absconditis repentè jussu Divino procedere, &c.

Secundo id confirmat exemplo S. Hieronymi, qui testatur credidisse Ecclesiam, Animas hominum à Deo immediatè creari, quum eas in corpora infundit; ita in Epistola 61. adversus errorem Johannis Jerosolymitani, & libro II. Apologiae contra Rufinum. At S. Augustinus in contrariam sententiam apertè inclinat, quae statuit, Animam cum corpore simul fieri, & de patre in filium traduci. Hoc autem satis ostendit, tunc temporis nihil ea de re Ecclesiam definisse. Hieronymus verò, ut erat animo in Rufinum concitato, facilè pronunciavit, eam sententiam esse ab universa Ecclesia receptam, cui plerosque videbat ejus aetatis adhaerere Doctores.

Tertio addit exemplum Johannis Thessalonicensis Episcopi, cujus liber productus est, & lectus in Concilio Nicaeno II., Oecumenico VII., actione 5., ubi haec habentur: *Sanctus dixit: de Angelis, & Archangelis, & eorum potestatibus, quibus & animas nostras adjungo, ipsa Catholica Ecclesia sic sensit: esse quidem intelligibiles, sed non omnino corporis expertes, & invisibiles, ut vos Gentiles dicitis, verum tenui corpore praeditos, & aereo, sive igneo, ut scriptum est, qui facit Angelos suos Spiritus,*

&

& Ministros ejus ignem urentem. Subditque in eadem sententia fuisse Basilium cognomento Magnum, Athanasium, & Methodium, quibus accenseri potest Augustinus, qui Epist. CXV. ad Nebridium docet, Angelos esse aërea, sivè aetherea animantiă; & in libro de Ecclesiasticis Dogmatibus Cap. XI. ait, *Nihil incorporeum, & invisibili natura credendum, nisi Deum solum;* Et Cap. XII., statuit, omnem Creaturam corpoream esse. Cardinalis quoque Cajetanus in Commentario Epistolae ad Ephesios Cap. II. dixit, Daemones esse Spiritus aëreos, quae sanè opinio a Schola Platonica originem trahit; cujus amor Johannem Thessalonicensem impulit, ut illam toti Catholicae Ecclesiae adscriberet.

Quarto idem firmat exemplo S. Augustini, qui pluribus in locis fatetur, consuetudinem fuisse Ecclesiae Universae ante Cypriani tempora, ut venientes ab haereticis, à quibus essent baptizati, reciperentur in Ecclesia absque iteratione baptismi. At verò Firmilianus in Epistola ad S. Cyprianum docet, in Ecclesiis Ciliciae, & Cappadociae à tempore supra hominum memoriam aliud observatum fuisse. Quod & a Sanctis Patribus Basilio in Epistola ad Amphilochium Cap. 1., & aliis post Tertullianum lib. de pudicitia Cap. XIX. admissum fuit.

Praeterea idem Augustinus lib. XVIII. de Civitate Dei Cap. 43. comparans versionem Scripturae factam à Hieronymo cum versione septuaginta Interpretum, ait: *Ecclesiae Christi tot hominum autoritati, ab Eleazaro tunc Pontifice, ad hoc tantum opus Electorum, neminem judi-*

judicant praeferendum. *Suum*, inquit *Dallaeus*, *& ſibi conſentientium judicium pro Eccleſiarum illius temporis judicio*, *obtrudit*; Eccleſiae enim ipſae ubi, & quando ſic judicarunt ? nullum Eccleſiarum iſtius ſaeculi fuiſſe hujus generis judicium; ſatis oſtendit, vel ſequentium Eccleſiarum fides, quae Hieronymi verſionem abdicatis ſeptuaginta Interpretibus; tandem praetulit.

Quinto exemplo S. Fulgentii, qui in lib. de Fide ad Petrum Cap. XXVII. hoc dogma veluti certum Fidei articulum proponit, quod Animae puerorum ſine Baptiſmo decedentium, aeternis ſuppliciis affliguntur, ait enim: *Firmiſſimè tene, & nullatenus dubites etiam parvulos, qui ſine Sacramento Baptiſmatis de hoc ſaeculo tranſeunt, ignis aeterni ſupplicio puniendos*. Citat Gratianus in Can. *Firmiſſimè* de Conſecrat. diſtinct. 3., & licet falsò eam autoritatem Auguſtino adſcribat, fuit tamen hic in eadem ſententia; ut patet ex Epiſtola ipſius XXVIII., & ſermone XIV. de verbis Apoſtoli Cap. III., ut & alii Sancti Patres; quos allegat Petavius tomo I. Dogmatum Theologicorum lib. IX. cap. 10. § 8. & 9. Atqui Catholicam Eccleſiam non ita pro certo definiſſe, ſatis conſtat ex Theologicorum conſenſu; quo poſterioribus ſaeculis illa opinio rejecta eſt, & Gregorius Ariminenſis, qui in ſecundum diſtinct. XXXIII. quaeſt. 3. eam recentavit, appellatus fuit *Parvulorum tormentum*.

Sexto exemplo Venerab. Bedae, qui in libro de Ratione temporum Cap. LXV. ait: *Habere Eccleſiae Fidem, Dominum in carne paulo pluſ-*

plusquam triginta tribus annis, usque ad suae tempora passionis vixisse, & mox sancta quidem Romana, & Apostolica Ecclesia hanc se Fidem tenere, & ipsis testatur indiculis, quae suis in Coereis annatim inscribere solet. Praeterea in eodem loco haec habet: *quod Dominus decima quinta Luna, feria sexta, Crucem ascenderit, &c. nulli licere dubitare Catholico*. Ceterum Petavius in notis ad Epiphanium pag. 113. & 143. prolixè ostendit, has duas sententias, quas tamquam de Fide Ecclesiae essent tradit Beda, nihil minus esse, quam quod ille dicit. Sequitur ergo Patres in agnoscendis Fidei Capitibus, passim fuisse deceptos.

Secundam partem suae propositionis, quod scilicet Patres, quum tanquam Doctores, quid ipsi sentiant, exponunt, non sunt infallibiles; longâ oratione probare nititur Dallaeus. Tum quia non fuerunt afflati Spiritu Sancto, ut Scriptores librorum Canonicorum, sed ut homines licet Sancti, & eruditi, errori fuerunt obnoxii. Tum quia ipsi Sancti Patres negant suis assertionibus in iis, quae de Religione pronunciant, fidenter adhaerendum esse; unde saepè monent suae aetatis homines, ne sine praevio examine sua dicta suspiciant, quam in rem Origenis, & Cyrilli adfert testimonia. Tum etiam, quia multa occurrunt inter opera Sanctorum Patrum, quae raptim scripta sunt, quaedam etiam extemporaria, ut credibile sit auctores ipsos multa in iis fuisse emendaturos, si recognoscere licuisset. Tum denique singulos eorum

rum lapsus recolit, & errata redarguit, de quo nos abundè supra.

Respondeo, Patres, ubi de facto agitur, errare possunt, distinguo; si de mero, & simplici facto agatur, ut verum admitto; si de facto, quod est à jure inseparabile, falsum esse assevero. Sunt enim quaestiones quidam facti, quae tamen ita jus ipsum involvunt, ut nemo possit errare in facto, quin simul erret in jure: verbi caussa, Quaestio facti est, an libri, quos Ecclesia recipit pro Canonicis, sint verbum Dei; sivè, an libri, quos Ecclesia legit, scripti sint à Prophetis, Apostolis, Evangelistis; attamen implicat illam quaestionem juris, an Deus verbum suum à Sacris Scriptoribus literis consignatum, Ecclesiae tradiderit; unde qui negat libros istos esse sacros, & Canonicos, negat simul Scripturam Sacram in Ecclesia ullam extare. Ad rem igitur nostram, scire, quae fuerit Ecclesiae sententia singulis saeculis, est quidem cognitio facti, sed ita est à jure indivisa, ut non possit in una errari, quin & in alia erretur. Nam qui asserit dogma aliquod ab Ecclesia explodi tamquam haereticum, quod verè non est, vel putat sententiam aliquam spectare ad Fidem Catholicam, quae ad eam non spectat, non tantum in facto fallitur, sed quamvis ignorans etiam in jure, dum autem ignorat, quae sit vera Fides; vera enim Fides illa est, quam Ecclesia profitetur. Itaque si Patres universi errassent, quum ut testes retulerunt, quae esset suâ aatate Fides Ecclesiae, consequenter esset dicendum errasse, quum docuerunt, quae

esset

esset vera Fides, qui error in ipsam Ecclesiam refunderetur, quae *non habet rugam, neque maculam*.

Nunc ad singulas confirmationes respondendum est. Ad primam dicimus, Philastrium non satis accuratum fuisse in recensendis haeresibus, sed in nonnullis deceptum fuisse; vel si modestius cum eo agere velimus, in eo cathalogo referre voluit, non tantum haereses, verùm etiam errores, in quos plerique, salva Fidei veritate, impingebant. Quamquam verò Philastrius, aliique, non ex Ecclesiae sententia, sed ex sua privata opinione aliquas, veluti haereticas traduxerint, quae tamen haereticae non sunt, vel inter Fidei Capita recensuerint sententias quasdam probabiles, & indifferentes; non ideò sequitur, Patres universos, aut maximam partem errasse, quum testati sunt de Fide Ecclesiae suis temporibus.

Ad secundam dico, S. Hieronymum non afferere, quod ipse Dallaeus affingit; Dogma Fidei esse, quod Anima hominis immediatè à Deo creatur, quum in corpus infunditur; sed tantum, quod Ecclesia sentiat, Animas non fuisse creatas ante corpora, & postmodum desiderio corporum in terram delapsas, & alligatas humanis corporibus; sed eas à Deo quotidie creari: an autem immediatè, an Parentum opera cum ipsius corporibus propagentur, quaestio est, qua nihil Hieronymus de Fide pronunciat. Disputat enim ibi S. Doctor contra Origenistas, quorum partes tuebantur Johannes Jerosolymitanus, & Rufinus. Error autem Origeni-

genistarum hic erat, Animas multis saeculis ante corpore creatas fuisse, & ob peccata in corpora detrusas veluti in carceres. Sententia vero, quae dicebat Animas ex traduce fieri, non Origenistarum erat, sed autorum Ecclesiasticorum, ut patet ex S. Augustino, Hieronymi aequali, eamque ut minus probabilem Hieronymus respuit, non tamen asserit ab Ecclesia damnatam: Notandum autem modo est, quod asserit Natalis Alex. tom. V. Histor. Eccles. saecul. 5. Cap. 4. ar. 3. §. 10. qui rem diffuse, & ex professu tractat: *Illud tamen Antiquorum dubium* (sunt ejus verba de propagatione scilicet Animarum per traducem) *non impedit, quin modo ab omnibus Catholicis asserendum sit, Animas a Deo creari & creando corporibus infundi, ut habetur inter Synodi Cateranensis Decreta.*

Ad Tertiam respondeo, Johannem Thessalonicensem disertè non affirmasse, Angelos secundum Ecclesiae Fidem, esse corporeos, sed non esse Ecclesiae Fidem, quod sint incorporei, quia multi Sanctorum Patrum, corpora ipsis subtiliora tribuerunt. Sed etiam concesso, quod ita existimasset Johannes, Ecclesiam Catholicam sentire, Angelos esse corporeos, fuisset hic error privati Doctoris, non omnium Patrum, eorum praecipuè, qui Synodo VII. interfuerunt, quandoquidem illi in confessione Fidei, quae Actione quarta lecta fuit, professi fuere se salutare, & honorare Venerabiles Icones Sanctorum etiam, & incorporalium Angelorum, ut homines enim justis apparuerint.

Ad Quartam dicimus, verè dixisse Augusti-

ſtinum, Eccleſiam univerſam id moris habuiſſe uſque ad tempora Cypriani, ut abſque novo Baptiſmo, venientes ab haereticis reciperet. Teſtimonium autem Firmiliani de Eccleſiis Ciliciae, & Cappadociae, quod eos rebaptizaverint, ſuſpectum eſt; quippè Firmilianus eandem rebaptizationis ſententiam cum Cypriano propugnavit. Sed etiam ſi illud, ut ingenuè dictum admittamus, quota pars Orbis Chriſtiani erant illae duae Ecclaſiae? Aut cur non potuerunt à diſciplina excidere, quae integra ſervabatur in reliquo corpore Eccleſiae? an non potuit illa conſuetudo in praefatis Eccleſiis eſſe recens introducta, quod eſt veriſimilius, quum nuſquam legatur in illis Eccleſiis, ea de re priùs motam fuiſſe controverſiam? Denique ut demus, S. Auguſtinum in hoc hiſtoriae capite deceptum eſſe; quid tum? non Patres ſingulos nos tuemur, ſed univerſum eorum coetum.

Ad id, quod additur ex eodem Auguſtino quaſi judicaverit, Eccleſiam ſenſiſſe, nullum Interpretem eſſe praeferendum ſeptuaginta Senioribus; Reſpondeo, quod neque Eccleſia decreto aliquo Synodali, aut lege latâ ſtatuit, eorum Verſionem cunctis anteponendam eſſe, neque id contendit Auguſtinus, cujus verba lividè, ſed irrito, conatu Dallaeus detorquet. Hoc ſolum docet S. Doctor, Verſionem illam, uſu Apoſtolorum eſſe conſecratam, ab Eccleſia ad quotidianos uſus adhiberi, ſecundum eam ſcripturam legi in ſacris Conventibus Chriſtianorum, & ab Eccleſiaſticis autoribus laudari. Quae omnia veriſſimè dicta eſſe conſtat ex S. Irenaeo lib.

lib. III. adversus haereses cap. 25. Cyrillo Jeresolymitano Cathechesi IV., & S. Hieronymo Quaestionibus in Genesim, & Commentario in Prophetiam Habacuc cap. II.

Ad quintam dicendum: in Fulgentii ratiocinio, duas esse propositiones, unam praecipuam alteram incidentem. Prima est parvuli, sivè in utero Matrum vivere incipiunt, & ibi moriuntur, sivè quum de matribus nati sine Sacramento Baptismatis de hoc saeculo transeunt, aeternâ poenâ damnantur. Secunda est, hanc poenam esse ignis sempiterni cruciatus. Et primam quidem, meritò Fulgentius, ut Fidei dogma protulit, oppositus errori Pelagianorum, qui dicebant, horum Animas in loco quodam à Regno Coelorum distincto, aeterna Beatitudine fruituros, quandoquidem nullum in iis agnoscebant Originale peccatum: patet hoc ex ratione, quam adnectit, quia etsi propriae actionis peccatum nullum habuerunt, Originalis tamen peccati damnationem carnali conceptione, & nativitate traxerunt; ceterum secundam propositionem, non ut Fidei caput proposuit, sed ut probabilem sententiam amplexus est: quod autem eas non clarius, & expressius distinxerit, sed unam in altera involverit, occasionem calumniandi Dallaeo praebuit.

Ad ultimam concedimus, Venerabilem Bedam falsum fuisse in adscribendis toti Ecclesiae illis sententiis de aetate Christi annorum trigintatrium, & de die Passionis, ut & nullo merito eos culpat, ac haereseos arguit, qui contra

tra sentiunt, quandoquidem ob variantes de ea re Patrum opiniones, certum nihil Ecclesia definivit. Verùm jam saepius repetitum est, nos singulorum Patrum errores defendendos non suscepisse, neque singulorum caussam agere, sed Universitatis.

CAPUT QUINTUM

De Romani Pontificis Decretis.

JAM ad eum pervenimus scopum, in quem omnia haereticorum scommata, ac virulentae obtrectationes collineant, hoc est, ad Romanum Pontificem, ejusque Sedem, quam Donatistae olim *Cathedram pestilentiae* vocabant, Waldenses *purpuratam maeretricem*, Wiclefus *Satanae Synagogam*, hodierni Protestantes *solium Antichristi*, & ipsum Papam *Antichristum* appellant, ut olim convicii caussa Berengarius, Pontificem, *Pomificem*, & *Pulpificem* dicere consuevit, ut de aliis taceam. Quamquam enim Sectarii saepissimè non minus inter se, quam à nobis dissident in aliis Fidei Dogmatibus, in hoc tamen omnes conspirant, & totis viribus, totaque animi contentione studient, Romanam Sedem evertere.

Omnibus tamen facem praetulerunt Graeci, quorum aemulatio, & superbia non ante destitit cum hac Sede Bellum gerere, quam ipsi à Turcarum Imperatore oppressi, Religionem simul, & dignitatem amiserunt. Etenim usque ab anno 381. Episcopum Constantinopolitanum

qui antea ne Patriarcha quidem erat, ausi sunt praeferre tribus Patriarchis Orientis, & secundum facere à Romano Pontifice. Deinde anno 451. facere parem, ut patet ex actione 16. Synodi Calcedonensis; postmodum Gregorii Magni aetate circa annum sexcentesimum, Episcopum novae Romae vocare caeperunt Oecumenicum, hoc est Orbis terrarum, sivè Universalem Episcopum. Tandem verò anno 1054. palam edixerunt, Romanum Episcopum propter additionem factam Symbolo Constantinopolitano particulae, *Filioque*, jam de gradu excidisse, & summum, ac primum Episcoporum omnium, esse Pontificem Constantinopolitanum.

Omnia igitur Monstrorum genera, nobis sese offerunt contra Papam pugnantia, quae utinam olim à Domino purificata, Petrus occidat, & manducet, ut ipsi praesignificatum in linteo illo magno, in quo erant omnia quadrupedia, & serpentia terrae, & volatilia Coeli, ut refert Lucas Actorum X. vers. 12. Hoc autem maximum est argumentum, quod Sancta Sedes singulari providentiâ Dei, ac protectione munita est, quod tot Paganorum, haereticorum, Schismaticorum, ac Principum etiam Christianorum persequutionibus; ejus autoritas & Majestas ne dum non eversa, labefactata, aut imminuta fuerit, sed semper magis, ac magis creverit, ac floruerit. Quinimò hoc ipsum, quod filii hujus mundi tam immani odio eam insectentur, ostendit, eam verè Sedem esse Petri, quem Christus speciali nomine dilexit, quod Salvator idem professus est Johannis XV., *si mun-*

mundus Vos odit, scitote quia me priorem vobis odio habuit, & ibidem: *Quia elegi vos de mundo, propterea odit vos mundus*. Sed ut rem pressius attingamus, oportet, ut primum de Primatu Petri agamus, deinde de successione Romani Pontificis in eundem.

PROPOSITIO PRIMA

Petrus Apostolus fuit Ecclesiae Caput, & Princeps loco Christi, ab ipso Christo constitutus.

PRaecipuus Scripturae locus, qui ad hoc Dogma probandum afferri solet, est ex Matthaei Evangelii Cap. XVI. *Tu es Petrus, & super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam, & tibi dabo Claves Regni Coelorum, & quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in Coelis, & quodcumque solveris super terram erit solutum & in Coelis*. Mirum tamen est, quot cavillationibus haeretici hunc locum divexarint. Erasmus in Commentaria ejusdem, censuit, nomine *petrae* intelligi unumquemque Fidelem. Centuriatores Magdeburgenses secuti Lutherum in libro *de potestate Papae*, ajunt, petram illam esse Fidem, seu confessionem Petri. Calvinus lib. IV. Institutionum Cap. VI. vult *petram* non esse Petrum, ut Catholici sentiunt, sed ipsum Christum.

Ut autem verus sensus ejus loci pateat, animadvertendum est, quod lingua Syriaca, qua

Christus loquebatur, Petrus dicitur Cephas, sivè Petra, Johannis I. vers. 42. *Tu es Sion filius Jona, tu vocaberis Cephas, quod interpretatur Petrus*. Haec autem diversitas nascitur ex eo, quod interpres sequutus est textum, non Syriacum, sed Graecum; Graecè autem lapis dicitur *Petros* masculinè, idemque *Petra* faemininè: quum verò loqueretur de homine, maluit Graecus tribuere ei nomen masculinum *Petros*, quam *Petra*. Dixit ergo Christus: *Tu es Cepha, & super hoc Cepha*, latinè ad verbum, *Tu es Petra, & super hanc Petram aedificabo Ecclesiam*; loqutus igitur est de persona Petri, non de ejus Fide, nec de quolibet Fideli.

Praeterea firmatur haec interpretatio totius Ecclesiae consensu, Patrumque tam Graecorum, quam Latinorum. Concilium Calcedonense Actione III. vocat Petrum *Petram, & crepidinem* Ecclesiae Catholicae: & in hymno Dominicae ad Laudes, quem S. Ambrosii esse, testatur Augustinus lib. Retract. XII., canitur Hoc, idest gallo, *ipsa petra Ecclesiae, canente culpam diluit*. Origenes Homilia V. in Exodum: *Vide magno illi Ecclesiae fundamento, & petrae solidissimae, super quam Christus fundavit Ecclesiam, quid dicatur à Domino; Modicae Fidei quare dubitasti?* Elegantissimè Chrysostomus Homilia IV. in Caput 6. Isaiae: *Quid autem Petrus basis Ecclesiae, ille vehemens amator Christi, ille sermone indoctus, & Rethoricorum victor ille, qui Graecanicam Sapientiam non aliter, quam araneorum telam dissolvit, ille qui Sagenam misit in mare, & piscatus est Orbem*. Epiphanius

in

in Anchorato: *Dominus constituit Petrum primum Apostolorum petram firmam, superquam Ecclesia Dei aedificata est*. Nihil dici potuit expressius. Brevitatis autem studio, omittimus Athanasium, Basilium, Nanzianzenum, aliosque, quos videre potés apud Bellarminum.

Erasmus ad tuendam expositionem suam, utitur testimonio Origenis, Tractatu I. in Matthaeum, ubi ait: *Petra est omnis imitator Christi, & super omni ejusmodi petra aedificatur Ecclesia Dei*. At non videt, non ad literam respicere Origenem, ut in loco à nobis citato, sed exponere hunc locum allegoricè. Si enim quisque Fidelis esset petra illa, super quam Ecclesia fundata est, quisque esset fundamentum: ubi igitur reliquum aedificium? Erasmus absurdum censuit, Ecclesiam fundari super Petrum, quod merus esset homo; quomodo super omnem hominem aedificari non erit absurdum?

Calvinus pro sua interpretatione probanda, affert Apostolum I. ad Corinthios III. *Fundamentum aliud nemo potest ponere, praeter id, quod positum est, quod est Christus Jesus*. Manifestum est igitur, petram esse Christum, super quam Ecclesia aedificata est. Addit S. Augustinum Tractatu ultimo in Johannem, ubi scribit: *Super hanc petram, quam confessus est, aedificabo Ecclesiam meam*. Idem alibi repetit; imò lib.I. Retractationum Cap.12. retractat, quod alicubi dixerat, Ecclesiam aedificatam esse super Petrum, docetque dicendum, super Christo aedificatam esse.

Respondeo, Christum esse verissimum Ec-

clesiae fundamentum; si enim Petrus fundamentum est, qui vices illius gerit, multò magis Christus fundamentum est, quod intendit Apostolus; at hoc non excludit, quin super Petrum fundata sit Ecclesia, ut ostendit sensus literalis verborum, quae nullo modo referri possunt ad Christum: quum enim antea dixerit Dominus: *Ego dico tibi, quia tu es Petrus*, aburda esset loquutio, si ea, quae sequuntur, *& super hanc petram aedificabo Ecclesiam*, non essent referenda ad *petram* illam, de qua proximè loquutus fuerat, sed ad Christum, qui licèt dicatur *petra*, non tamen sub eo nomine eum confessus fuit Petrus, sed illis: *Tu es Christus filius Dei vivi*. Praeterea si Christus nomine petrae se ipsum intellexisset, non dixisset *aedificabo*, sed *aedifico* Ecclesiam, nam in se jam aedificaverat Apostolos, & alios Discipulos; dicit autem *aedificabo*, quia nondum constituerat Petrum fundamentum, sed id facturus erat post Resurrectionem.

Ad argumentum ex Augustino desumptum, respondeo, Augustinum utroque sensu nostrum textum exposuisse, ità tamen, ut ambas interpretationes existimaret esse probabiles; ait enim loco citato: *Harum autem duarum sententiarum, quae sit probabilior eliget lector*. Tandem verò acquievit in illa, quam praefert Calvinus, ut verba referantur ad Christum, non ad Petrum; non perpendens linguae Sanctae expressionem: illâ enim ratione ducitur, ut *super hanc petram* intelligeretur, quem confessus est Petrus: non enim dictum est illi, Tu es *petra*, sed tu

es

es *Petrus*, petra autem erat Christus. Hoc autem falsum esse patet ex supradictis, quod Cephas est petra, ideoque Chistus dixit, Tu es *petra*, quod Augustinus non perpendit. Quamquam lib. 1. Retractat. Cap. 21. hunc communem Sanctorum sensum reprobat, ut notat Melchior Canus de Locis lib. VI. Cap. 3.

Superest Lutheranorum Phalanx, quae pro illo sensu pugnat, ut *petra* sit confessio, & Fides Petri. Primo proferunt complura Sanctorum Patrum testimonia. S. Hilarius libro VI. de Trinitate ait: *Super hanc confessionis petram Ecclesiae aedificatio est*. Ambrosius lib. VI. in Lucam Cap. IX. *Fundamentum Ecclesiae Fides est.* Chrysostomus Homilia LV. in Matthaeum: *super hanc petram, idest Fidem, atque confessionem*. Cyrillus lib. IV. de Trinitate, *Petram*, opinor, nihil aliud, quam inconcussam, & firmissimam Discipuli Fidem vocavit.

Secundo argumentatur Mathias Illyricus: *Si Ecclesia fundata esset super Petrum, potius quam super confessionem Fidei, continuò corruisset;* Nam eodem Cap. XVI. Matthaei, quum praedixisset Jesus Discipulis Passionem suam, mortem, & Resurrectionem, caepit Petrus increpare illum dicens: *Absit à te Domine, non erit tibi hoc.* Unde à Christo reprehendi meruit illis verbis: *Vade post me Satana, scandalum es mihi, quia non sapis ea, quae Dei sunt, sed ea, quae hominum.* Insuper idem Apostolus, non sine vehementi execratione, Christum à Judaeis captum iterum, ac tertiò negavit, Matthaei XXVI.: non igitur super Petro, sed super Fide, non in fluxo,

& labili, sed in solido, & firmo Ecclesiae fundamento positum est.

Respondeo, Sanctos illos Patres non asserere, Ecclesiam à Christo simpliciter fundatam, alioqui non dixisset *aedificabo*; nam Fides jam erat in multis, sed super Fide, prout erat in Petro; siquidem licet Fides dicatur esse *fundamentum justificationis, & omnium virtutum*, ut ait Augustinus Sermone XXII. de verbis Apostoli: *Domus Dei credendo fundatur, sperando erigitur, & diligendo perficitur*; tamen non recte diceretur, *Fides esse fundamentum Ecclesiae: quum enim Ecclesia sit congregatio hominum, debet ejus fundamentum esse aliquis homo, ut sit ejusdem generis fundamentum, & reliquum aedificium*. Praeterea idem fuit à Christo constitutum Ecclesiae fundamentum, cui traditae sunt Ecclesiae Claves, qui poterit ligare, & solvere: atqui Claves, & potestas ligandi, & solvendi, non potest dici, quod data sit Fidei; non igitur Fides, sed Petrus Christum confessus est caput Ecclesiae.

Ad secundum dico cum Hieronymo ad citatum Caput Matthaei, quod Petrus quando audivit, *vade post me Satana*, & quum negavit Christum, non dum erat Ecclesiae caput, vivente scilicet ipso Christo, post cujus Resurrectionem ipsi data fuerunt, quae hic promissa sunt; nunquam enim Ecclesia habuit duo capita visibilia; sed ascendente Salvatore, ejus vices, & jura capitis, gerere caepit Petrus. Mitto, quod aliqui defendunt, Petrum non excidisse à Fide, quum Christum negavit, sed tantum à Carita-

ritate: id enim vestigare, non est ejus loci.

Nunc aliis argumentis Primatum Petri stabiliamus. In omni hominum coëtu ordo aliquis servandus est; oportetque unum inter plures esse primum; ergo in Collegio Apostolico primus aliquis esse debuit: at sine dubio fuit Petrus: omnes enim Evangelistae, quum Apostolos numerant, non tantum primo loco Petrum collocant, sed primum etiam fuisse affirmant. Matthaei X. *Duodecim Apostolorum nomina haec sunt, primus Simon, qui dicitur Petrus, &c.* Idem observare est apud Marcum Cap. III., & Lucam cap. VI.; Primatus igitur Petri ex ipso ordine disertè ostenditur.

Certo tamen definiri non potest, quamobrem haec Primatus praerogativa, delata fuit Petro. Sunt, qui putant delatam ob aetatem. Hieronymus lib. I. contra Jovinianum: *Aetati*, inquit, *delatum, quia Petrus senior erat*. Cassianus lib. III. de Incarnatione: *primum hunc decuit respondere, ut idem ordo esset responsionis, qui erat honoris, & ipse antecederet confessione, qui antecedebat aetate*. Chrysostomus Homilia LIX. in Matthaeum, alludens ad illa Christi verba ad Petrum Matthaei XVII. in fine: *Invenies staterem, illum sumens, da eis pro me, & te: Didrachma pro Petro solutum, quod ipse esset primogenitus*. Licet S. Epiphanius haeresi LI. nulla ratione statuat, Andream fuisse Petro Seniorem.

Alii Primatu donatum existimant, propterea, quod primus vocatus fuerit; nam licèt ex Apostolis Andreas prior ad Christum accesserit,

vide-

videtur tamen primus Petrus ad munus Apostolatus electus, quum dixit ei Christus Lucae V. 10. *Noli timere, ex hoc jam homines eris capiens*. S. Hilarius in Matthaeum Cap. XVII. *Petrus primus credidit, & Apostolatus est Princeps.* Chrysostomus Homilia IX. de Poenitentia: *Petrum quum dico, Petrum nomine primum Discipulorum, primum vocatum, & primum obedientem.* In eadem sententia sunt Cyprianus, & Gregorius Magnus.

Alii denique ob eximiam caritatem ergà Christum, factum censent, ut primus inter reliquos constitueretur. Ita S. Augustinus Sermone XIII. de verbis Domini: *Petrus*, inquit, *in Apostolorum ordine primus, in Christi amore promptissimus*. Et S. Cyrillus lib. XII. in Johannem Cap. 64. *Praeveniebat Petrus alios, ardore namque Christi praecipuè fervens, & ad faciendum, & ad respondendum paratissimus erat*: Cujus autem praecipuae caritatis exempla in Scripturis occurrunt multa, sed quae non est necesse hic percensere.

Ceterum quaecunque tandem ratio Christum impulerit, satis est nobis probasse, ab eo Petrum in primario loco fuisse constitutum, eundemque tenuisse, non solum vivente Christo, sed etiam post ejus discessum. Constat hoc ex pluribus Actorum locis: nam Cap. I. enumerans Lucas Apostolos, qui erant in Coenaculo congregati, primo loco Petrum nominat, & ut erat omnium primus, ibi inducitur, ceteros alloquens & praescribens electionem alterius in locum Judae proditoris Cap. II. primus omnium Apo-

sto-

stolorum annunci at Jesum Christum, & caussam aperit, cur audirentur ab omnibus cujuscunque idiomatis Cap. III., & IV.: licèt comitem haberet Johannem, ipse tamen claudum sanitati restituit, ipse solus concionem habet ad Populum, & quum interrogaretur uterque à Senioribus, & Scribis, ipse tantum pro se, & Johanne respondet.

Oppones. Paulus fuit omnino aequalis Petro; ergò non fuit hic primus; primatus enim unius est, nec est alteri communicabilis. Prior autem propositio probatur ex iis, quae profert Petrus de Marca in Exercitatione de *singulari Primatu Petri*, quae est inter Opuscula ipsius, ubi numero 17. probat, Paulum fuisse verè, & propriè Romanae Ecclesiae Episcopum. Id enim praeclarè asseverat Epiphanius, vocans Petrum, & Paulum *Romanos Episcopos*. Cui praeiverat Irenaeus, qui describens Pontificum in Romana Ecclesia successionem, Petrum, & Paulum primos enumerat. Eusebius quoque idem facit, dum Clementi tertium locum assignat in Romano Episcopatu post Petrum, & Paulum. Hinc Romani Pontifices inter cetera Sedis suae ornamenta id posuerunt, ut se dicerent Vicarios Petri, & Pauli, eorumque Throni successores, ut loquitur Hadrianus I. in Epist. ad Constantinum, & Irenem Imperatores, quem imitatus Gregorius VII. sedere se dixit in *Cathedra Petri, & Pauli*, in formula excommunicationis contra Henricum Imperatorem. Idem testantur Imagines utriusque Apostoli impressae in Bullis plumbeis ante octingentos annos; imò quum Paulus

ad

ad dexteram Petri collocetur, quidam argumentum sumpserunt tribuendi Paulo praecipui honoris.

Respondeo, Petrum, & Paulum in Apostolatu, in potestate, in autoritate aequales fuisse: in Primatu non item; & licèt omnes Apostoli in dignitate aequales fuerint, fateor tamen Paulum speciali nomine dici posse aequalem Petro; primo quia sicuti Petrus fuit Apostolus Judaeorum, ita Paulus fuit Apostolus Gentium; Secundo, quia non minùs ille, quam iste plurimum laboravit ad annunciandum Evangelium, innumerasque gentes adivit, & ad Fidem convertit; tertiò quia uterque Romanam Ecclesiam fundavit, eamque consecravit Sanguine suo. His verò non obstantibus, in primatu Petrus, fuit Paulo superior. Itaque S. Ambrosius libro de Spiritu Sancto Cap. XII., dum ait: *Nec Paulus indignus Apostolorum Collegio, cum primo quoque facilè conferendus, & nulli secundus, nam qui se imparem nescit, facit aequalem*. Supponit, Petrum inter Apostolos primum fuisse, cum quo tamen Paulus conferri posset.

Eodem modo intelligendus Augustinus Sermone XXV. de Sanctis, ubi scribit: *Etsi Petrum priorem, tamen ambos ditavit honore uno*. S. Gregorius primo Dialogorum Cap. ultimo; *Paulus*, inquit, *Apostolus, Petro Apostolorum primo in Principatu, frater est*. Quamobrem Maximus Taurinensis Homilia V. in Natali Apostolorum ait: *Ergo Beati Petrus, & Paulus eminent in universos Apostolos, & peculiari quadam praerogativa praecedunt: verum inter ipsos, quis, cui praeponatur*

natur incertum est: puto enim illos aequales esse meritis, quia aequales sunt passione, & simili eos fidei devotione vixisse, quos simul videmus ad Martyrii gloriam pervenisse. Vides aequalitatem utriusque Apostoli praedicari in meritis, & martyrio, salvo tamen Principatu Petri.

Quinimò argumentum nimis probat; si enim ex eo, quod Petrus, & Paulus dicuntur Principes, & Apices, & Capita Apostolorum, inferri posset, eos in primatu quoque pares fuisse; dicendum etiam esset, Jacobum, & Joannem esse aequales Petro in jure Suprematus, quum & hi non raro his nominibus decorentur; ut quum Paulus comparat se cum magnis Apostolis, indigitans hoc nomine Petrum, Jacobum, & Johannem, quos *Ecclesiae Columnas* appellat. Victor Antiochaenus in Marcum Cap. IX., istos tres Apostolorum *coryphoeos* vocat, qui primas inter Apostolos tenebant. Chrysostomus in Epistola ad Galatas principio ait: *Petrus, Jacobus, & Johannes non prohibebant circumcidi, quum essent inter Apostolos primae dignitatis.* S. Augustinus in eadem Epistola ad Galatas; *Petrus,* inquit, *Jacobus, & Johannes honoratiores erant ceteris Apostolis.* Sequeretur igitur, & istos Petro in primatu coaequandos, quod imprudenter omninò diceretur: magna enim inscitia est, quum dico, v.g., Virgilius, Horatius, Tibullus sunt Poëtarum principes; hoc ita intelligere, ut omnino inter se sint aequales; eo enim tantùm significatur praestantia ipsorum super ceteros.

Urgent adversarii, Paulum Petro aequari, non tantum in meritis, Fide, laboribus, & Martyrio,

tyrio, sed etiam in hoc, quod Paulo non minus ac Petro, totius Orbis cura commissa dicatur. Quod non tantum à permultis Sanctis Patribus affirmatur, sed & ipsa Latinorum Ecclesia in Praefatione Missae Apostolorum manifestè fatetur, ajens, *quos operis tui Vicarios eidem contulisti praeesse Pastores.*

Respondeo, Apostolatus, non Primatus proprium esse hoc munus, curam gerendi Ecclesiarum universi Orbis, praedicandi Christum ubique, ac Fideles confirmandi. Id autem praecipuè Paulo conveniebat, quum esset Apostolus Gentium, & Fundator complurium Ecclesiarum, quibus propterèa specialiter prospicere tenebatur, curamque in se suspicere. Quod & ipsemet testatur I. ad Corinthios XI. 23,, ubi ait: *Ministri Christi sumus*(ut minus sapiens dico) *plus ego in laboribus plurimis, in carceribus, &c.* ac postquam cursim exhaustos labores recensuit, subdit: *Praeter illa, quae extrinsecus sunt, instantia mea quotidiana, sollicitudo omnium Ecclesiarum; quis infirmatur, & ego non infirmor? quis scandalizatur, & ego non uror? &c.*

Ad ea, quae superius allegabantur de Immaginibus Petri, & Pauli; Respondeo, non esse tanti, ut in his immorandum sit; ex eo enim, quòd simul pingantur, nihil potest colligi de aequalitate in Primatu, sed ut summum in Apostolatu; praeterea, quod Paulus nonnunquam dextrum Petri latus occupet, non alia potest reddi ratio, praeter Pictorum arbitrium, quibus, ut ait Horatius

Quidlibet audendi semper fuit aequa potestas.

Exem-

Exemplum poteſt eſſe in Cruce S. Andreae, quam pictores ejus figurae obtrudunt, cujus interjectio fit ad angulos partim acutos, partim obtuſos, quum tamen extet in Aede S. Victoris Maſſiliae, eandemque cum Chriſti cruce formam habet. Vide Molanum in hiſtoria imaginum lib. III. Cap. 51.

Denique opponitur Cypriani teſtimonium in lib. de Unitate Eccleſiae dicentis. *Hoc erat utique, & ceteri Apoſtoli, quod fuit Petrus, pari conſortio praediti, honoris, & poteſtatis*. Et S. Hieronymus in lib. adverſus Jovinianum inquit: *At dicis ſuper Petrum fundatur Eccleſia, licèt hoc ipſum alio in loco ſuper omnes Apoſtolos fiat, & cuncti claves Regni Coelorum accipiant, & ex aequo ſuper eos Eccleſiae fortitudo ſolidetur*.

Reſpondent Turrecremata, Cajetanus, Bellarminus, fuiſſe omnes Apoſtolos pares quoad amplitudinem rerum gerendarum, ſed in modo, & ordine agendi, hoc eſt ſingulos Apoſtolos habuiſſe poteſtatem in omnes Chriſtianos; ſed inter ſe fuiſſe impares, quoniam Petrus erat caput ceterorum.

Aliter reſpondet Petrus de Marca loc. citato num. 14. fuiſſe quidem aequales, non tantum in poteſtate, & amplitudine, ſed etiam in modo fundandi, erudiendi, & regendi Eccleſias, nam & tollebant diviſiones, & ſchiſmata, ut fecit Paulus in Eccleſia Corinthiorum: haereticos excommunicabant, ut idem Paulus Hymeneum, & Phigellum; unde recte ait Hieronymus, ſuper omnes ex aequo ſolidatam Eccleſiae fortitudinem: in Apoſtolatu quoque pares

erant

erant inter se, ita tamen ut si ob privilegium speciale non essent in gratia per Spiritum Sanctum confirmati, & labi potuissent ad haereses, vel schismata, a Petro cogendi essent ad servandam unitatem cum Capite, quod erat Petrus; ideoque tenebantur Apostoli particulares Ecclesias huic unitati subjicere, quae fuit Cypriani mens, ut constat ex verbis, quae sequuntur, ait enim: *sed exordium ab Unitate proficiscitur, ut Ecclesia una monstretur.*

PROPOSITIO SECUNDA.

Petrus fuit Romae Episcopus, nec indè Sedem suam alio unquam transtulit.

PRima pars probatur ex superius demonstratis. Consensus Sanctorum Patrum Fidei dogma firmat: sed consensus non tantum Patrum, sed omnium Christianorum probat, Petrum & Paulum Romae passos, illumque Crucis patibulo, hunc gladio interemtum fuisse: ubi eorum esse monumenta, docet communis Orbis terrarum peregrinatio, non modo nostrâ aetate, sed ab usque temporibus Eusebii, qui libro II. historiarum cap. 25. hoc argumentum tanti fecit, ut supervacuum putasset addere testimonia. Haec autem non desunt, si Bellarminum consulas; Ignatii, qui tempore Apostolorum vixit, Dionysii Corinthii, qui ab Apostolorum obitu post centesimum annum floruit, Hegesippi, Chrysostomi, Theodoreti, Tertulliani, Hieronymi,

rymi, Ambrosii, aliorumque: unde etiam Arator antiquus poëta Christianus, ita cecinit in fine Actuum Apostolorum:

Dignaque materies Petri, Paulique coronae
Caesareas superare minas, & in Arce tyranni
Pandere jura Poli, summumque in agone tribunal
Vincere, ne titulos parvus contingeret hostis.

Probatur secundo ex iis autoritatibus, quibus in propositione antecedente ostensum est, Petrum, & Paulum fuisse Episcopos Urbis Romae; iisque addi potest Cyprianus lib. I. Epist. 3. ad Cornelium, ibi: *navigare audent ad Petri Cathedram, atque ad Ecclesiam principalem, unde unitas Sacerdotalis exorta est; &c.* Est igitur Roma Episcopatus Petri, quod idem innumeris Sanctorum Patrum testimoniis, Bellarminus confirmat: quare S. Prosper in carmine de ingratis ita canit:

Sedes Roma Petri, quae Pastoralis honoris
Facta caput Mundo; quidquid non possidet armis,
Religione tenet . . . .

Secunda pars probatur. Si Petrus in hoc Episcopatu non permansit usque ad mortem, sed alio sedem transtulit; dicant Sectarii, ubi fuit Petri Cathedra, postquam excessit Antiochiâ, nam fuisse Petrum perpetuò Antiochiae, ne ipsi Antiocheni contendunt, & satis id probat Ecclesiae consuetudo, quae nunquam Antiocheno Episcopo primum tribuit locum; neque ulla hactenus Ecclesia, Petrum Episcopum suum, vindicavit, praeter Antiochenam, & Romanam;

si igitur Romam transtulit Cathedram; ibique diem clausit; dicendum est, ibidem sedem sibi fixisse, nec alio transtulisse, quod erat probandum.

Adversus primam partem, quod S. Petrus Romae fuerit, opponunt haeretici, & qui inter eos eminet, Claudius Salmasius in Apparatu ad libros de Primatu Papae, quod Apostulatus Petri fuit Judaeorum, & Pauli Gentium, ex S. Ambrosio in Commentario Cap. II. ad Galatas. Tempore autem, quo supponitur à Papistis, Petrus fuisse Romae, est sub Imperio Claudii, tunc autem vel pauci, vel etiam nulli erant Romae Judaei, quippe qui à Claudio, partim sub pretextu militiae, in Provinciis gravioris coeli distributi fuerant, partim exulare jussi, referente Svetonio in vita Claudii Cap. 36. Verisimile igitur est, Petrum non Romae, sed potius Babylone aetatem suam consumpsisse, ubi decem Judaeorum tribus supererant. Quod confirmat, primam Epistolam Petri esse ibi scriptam, ait enim in calce ipsius: *Salutat vos Ecclesia, quae est in Babylone collecta, & Marcus filius meus.* Praeterea Lucas in Actis, non tacuisset adventum Petri Romam, quum adventum Pauli literis consignaverit.

Respondeo, Epistolam illam, Romae à Petro fuisse scriptam, licet eam vocet Babylonem; ita enim antiqui Patres hunc locum intellexerunt. Eusebius II. Historiarum 15. ait: *Et hoc dicit Papias, quod Petrus in prima Epistola sua, quam de Urbe Roma scripsit, meminerit Marci, in qua tropicè Romam, Babylonem nominavit.* Hiero-

ronymus quoque in libro de Viris illustribus, in Marco, inquit: *Petrus in Epistola prima, sub nomine Babylonis, figuraliter Romam significat*. Quo etiam sensu, locum eundem exposuerunt Oecumenius, Beda, & alii.

Idem contestatur Johannes in Apocalypsi, ubi passim Romam vocat Babylonem, ut observavit Tertullianus lib. III. contra Marcionem, & apertè colligitur ex Cap. XXVII. Apocalypsis, ubi dicitur, Babylon magna sedere super septem montes, & habere imperium super Reges terrae: quae neque convenire possunt Babyloni, quae erat in Assyria, neque ei, quae erat in Aegypto, & vulgò dicitur Cairum. Idcirco autem Petrus, qui Judaeus erat, usus est hac figura; quia sicuti vera Babylon fuerat caput Imperii, Regemque habuerat Nabuchodonosor, qui populum Dei vexavit, & captivum abduxit; ita Roma tempore Apostolorum caput erat Imperii sub dominatu Neronis, qui populum Dei saevissimè afflixit. Sed quod maximè mirum est; nihil est in Protestantium ore frequentius, quam Romam appellare Babylonem, eoque consilio scripsit Lutherus librum de *Captivitate Babylonica*: & Magdeburgenses, non aliam ob rem Apocalypsim recipiunt inter libros Canonicos, nisi quia multa ibi adversus Romam, sub nomine Babylonis congeruntur. Si igitur Roma per ipsos est Babylon, cur tantopere indigantur, Petrum *Romæ* scripsisse, dum *Babylone* scripsit?

Sed & clausula illa subsequens, *& Marcus filius meus propositum nostrum non mediocriter ju-*

 vat.

vat. Ex veteribus enim Scriptoribus gravissimi constanter affirmant, Marcum Romae scripsisse Evangelium, juxtà ea, quae ibidem à Petro praedicante exceperat. Ita Eusebius loco citato, ubi citat Papiam, & Clementem Alexandrinum: ita Irenaeus, Hieronymus, Damasus, Ado Viennensis, aliique. Hinc factum, ut Evangelium Marci tribueretur Petro, Evangelium Lucae Paulo: *coepit*, inquit Tertullianus lib. IV. contra Marcionem, *Magistrorum videri, quae Discipuli promulgarint*.

Quod attinet ad expulsionem Judaeorum ab Urbe, jussu Cladii factam, non refragatur, quin Petrus Romae fuerit: non enim est necesse, ut Petrus toto tempore, quo fuit Romae Episcopus, Romae commoratus sit; sed possunt haec simul stare, ut Petrus anno secundo Claudii Romam venerit; anno deinde nono Claudii, fuerit cum omnibus Judaeis expulsus; ità enim ex Josepho historico refert Paulus Orosius lib. VII. Histor. rum Cap. 6.: *Anno ejusdem nono explusos per Claudium Urbe Judaeos*. Mortuo autem Claudio rediit Petrus Romam, ibique sub Nerone vitam finivit. Nec obstat quod Claudius, qui jusserat Judaeos Urbe summoveri, multò magis jussisse videtur, ne in Urbem reciperentur; igitur nunquam redire potuit Petrus. Non inquam obstat; nam Petrus rediisse dicimus tempore Neronis, quo potuisse Judaeos Romae degere, patet ex Cap. ultimo Actorum; ubi Paulus Romae Judaeis praedicat.

De divisione Apostolatus dicimus, non ità

in-

intelligendum esse, ut Petrus tantùm Judaeis, vel in Judaea, Paulus tantum Gentilibus praedicaret; sed, ut Petrus praedicaret omnibus, & ubicunque vellet, sed praecipuè Judaeis; Paulus quoque omnibus, & ubicumque, sed praecipuè Gentilibus. Alioqui Petrus alienam provinciam invasisset, quum praedicavit Antiochiae, & in Asia, Galatia, Ponto, Cappadocia, Bithynia; Paulus quoque usurpator fuisset, quum praedicavit Romae Judaeis, ut proximè annotavimus ex Capite ultimo Actorum.

Ad ultimum, quod objicit Salmasius de silentio Lucae in Actis hujus adventus Petri; Respondeo, ex argumentis ab autoritate, nihil rectè inferri negativè: non enim debuit Lucas omnia dicere; & plus creditur duobus testibus aliquid affirmantibus, quam mille nihil dicentibus, modo isti non negent, quod alii affimant. Quemadmodum non est hominis ità ratiocinari: Matthaeus in Evangelio non memorat Circumcisionem Domini, Marcus verbum nullum facit de Praesentatione, Lucas silentio praeterit Stellam novam, Johannes nusquam dicit, Christum natum de Maria Virgine; ergo haec omnia falsa sunt?

Ejusdem est rationis illud argumentum, quo utuntur Sectarii, imò Illyricus *demonstrationem* vocat. Paulus ad Romanos scribens, plurimos salutandos jubet, ut videre est per integrum Caput ultimum; Petri verò, ne meminit quidem: scilicet hae sunt demonstrationes eorum, quibus sanum non est sinciput. Primò; quia ità concludi posset; neque Johannem fuisse Ephesi Episcopum, neque Jacobum Jerosolymitanum

rosolymis; quandoquidem Paulus ad Ephesios scribens, Johanni salutem dicere praetermisit, neque salutat Jacobum, dum scribit ad Hebraeos.
II. Paulus idcircò salutem Petro non impertit, quia quo tempore scripsit, Petrus non erat Romae, sed versabatur in Syria: nam putata ratione temporum, conjicit Bellarminus, scriptam fuisse ad Romanos Epistolam anno Claudii XI., vel XII., quum jam Petrus Româ discesserat, ut supra dictum est.

Opponunt praeterea. Discordia autoritatorum, argumentum est falsitatis; at mira varietas observatur in enumerandis Petri successoribus: nam quidam post Petrum immediatè ponunt Clementem, ut Tertullianus de Praescriptionibus, & Hieronymus in Cap. LII. Isaiae. Alii post Petrum ponunt Linum, deindè tertio loco Clementem, ut Optatus Milevitanus lib. II. contra Parmenianum, & Augustinus Epistola 165. Alii post Petrum ponunt Linum, & Cletum, sivè Anacletum, & tandem Clementem quarto loco, ut Irenaeus, Eusebius, & Epiphanius. Magna quoque discordia est in tempore adventus Petri: quidam enim eum referunt ad annum Claudii II., alii ad IV.: alii ad XIII.: quemadmodum verò ubi unitas, ibi veritas, sic ubi variantia, ibi mendacium.

Respondeo, dissensum Scriptorum esse falsitatis argumentum, quantum ad id, in quo dissentiunt, quia necessario aliqui ex dissentientibus, falluntur. Atque ita argumentum ferit autorem; nam summa concordia est inter Pa-

tres,

tres, quod Petrus fuerit Romae, discordia inter aliquos quoad tempus; Verum igitur erit primum; in secundo aliqui decipiuntur. Sic de tempore, quo Christus est mortuus, maxima est inter Scriptores dissentio, ut videri potest apud Clementem lib. 1. Stromatum; infert ergò aliquis, Christum in Cruce non esse mortuum; Faxit ipse Deus, ne in tantam insaniam Protestantes evadant. De annis Samuelis, Saulis, & ipsius Mundi, qui hactenus fluxerunt, tot sunt sententiae, quot Chronologi; nemo tamen dixerit, vel Samuelem, aut Saulem non praefuisse, vel Mundum creatum non esse, nisi merus Atheus.

Discordia verò, quae reperitur in recensendis proximis Petri successoribus, originem ducit ex sancta illa contentione, quam inter ipsos modestia excitavit. Primus enim post Petrum Episcopus alter fuit, alter esse debuit; undè nonnulla obscuritas in hanc successionem invecta est. Res autem sic se habuit. Petrus, imminente Martyrio, Clementi Sedem Episcopalem reliquit; sic Tertullianus, Hieronymus, aliique. Ille Pontificatum recusavit viventibus Lino, & Cleto, qui fuerant Petri Coadjutores: Epiphanius haeresi 27. Hinc factum, ut Petro Linus succederet, Lino Cletus, Cleto Clemens, deindè Clementi Anacletus, ut numerant Optatus Milevitanus, Augustinus, Damasus, & alii. Quod autem Cletum cum Anacleto quidam confuderint, ortum est ex similitudine nominis; quemadmodum Graeci passim confundunt Novatum Carthaginensem, cum Novatiano Romano

no Presbytero. Sic Eusebius, & Nicephorus, ex Marcello, & Marcellino unum fecerunt Pontificem, quum duo fuerint. Anacletus igitur fuit à Cleto diversus, quod ipsa Ecclesia fatetur, dum dies festos in utriusque honorem instituit diversos.

PROPOSITIO TERTIA.

Romanus Episcopus succedit Petro, non tantum in Episcopatu, sed etiam in Primatu.

EST contra Nilum Thessalonicensem Episcopum in libro adversus Primatum Papae: ubi concedit, Petrum fuisse Pastorem totius Ecclesiae, & Romanum Episcopum; atque succedit in Episcopatu, non in universalis Ecclesiae regimine. Admittit tamen, Pontificem Romanum praerogativas quasdam habuisse, ut quod primus sederet, primus sententiam diceret, sed hoc esse ex Conciliorum decretis. Nilum secuti sunt Lutherus, Calvinus, Mathias Illyricus, & Magdeburgenses.

Probatur. Successio id importat, ut successor idem jus habeat, quod decessor: ita dicimus, Episcopos esse Apostolorum successores, quia quoad jura Episcopalia, eandem exercent potestatem. Ita quicunque Episcopus Ephesinus, non minor est Johanne; Jerosolymitanus non minor Jocobo in jure Episcopatus Ephesi, vel Jerosolymae: atqui Petro Romano Episcopo man-

mandata fuit à Christo cura omnium Apostolorum; ergò, qui succedit Petro, succedit in curam omnium Episcopatuum gerendam, & in autoritatem supra omnes. Assumptio probatur Johannis XXI. postquam Christus dixit bis Petro: *Pasce agnos meos*, ait tertio: *Pasce oves meas*; quem locum ita interpretatur Chrysostomus: aliis omissis, Petrum dumtaxat affatur, fratrum ei curam committit: eodem modo exponunt Theophylactus, Bernardus lib. II. de Consideratione, & alii, quos citat Cardinalis Peronius; ergò Romanus Pontifex praefectus est, non solum agnis, hoc est reliquis Christianis, sed & omnibus Episcopis, hoc est ovibus.

Dices; hanc curam fuisse in Petro personalem, neque ad successores transmitti. Contra: nam Pontifex est propter Ecclesiam, non Ecclesia propter Pontificem. Sic enim Augustinus in lib. de Pastoribus inquit: *Quod Christiani sumus, propter nos est; quod praepositi sumus, propter vos est*. Atqui Ecclesia non minus nunc, quam olim eget uno Pastore, quum nunc & plures, & deteriores sint Christiani; ergò decedente Petro, non debuit perire Pontificatus, qui non fuit pro Petro, sed pro Ecclesia, constitutus; ex fine igitur Pontificatus Maximi, debet hic durare, donec durabit Ecclesia.

Idem ostenditur ex Conciliis Generalibus. Concilium Constantinopolitanum I., cui, & Graeci, & Latini interfuerunt, Canone II. statuit, ut Constantinopolitanus habeat Primatus honorem, post Romanum Episcopum. Adeò sci-

ſcilicet, tum Graecis ſpiritu arrogantiae nondum afflatis, perſuaſum erat, Romanum Pontificem in tota Eccleſia Primatum habere. In Concilio Epheſino proteſtantur Patres, ſe deponere Neſtorium ex mandato literarum Coeleſtini Papae Romani, ut refert Evagrius lib. I. hiſtoriarum Cap. 4. Idem Concilium in Epiſtola ad praefatum Coeleſtinum ſcribit, ſe non auſum fuiſſe judicare cauſſam Johannis Patriarchae Antiocheni, quae magis dubia erat, quam cauſſam Neſtorii; ſed eam reſervaſſe judicio ipſius Coeleſtini. Concilium Chalcedonenſe paſſim vocat Papam Leonem, Univerſalem Eccleſiae Pontificem, & in Epiſtola ad eundem, haec habet: *Contrà ipſum, cui Vineae cuſtodiam à Salvatore commiſſa eſt, oſtendit inſaniam, ideſt contra tuam quoque Apoſtolicam Sanctitatem*. Ubi ſub nomine vineae, cujus cuſtodia ab ipſo Chriſto Romano Pontifici credita eſt, non aliud, praeter Eccleſiae regimen univerſae, intelligitur. Concilium Conſtantinopolitanum II. actione 4. *Nos Apoſtolicam Sedem ſequimur, & obedimus, & ipſius communicatoribus communicamus, & condemnatos ab ipſa, condemnamus*. Septima Synodus actione II. recepit Epiſtolam Hadriani Papae ad Taraſium, ubi dicitur: *cujus Sedes per totum terrarum Orbem Primatum obtinens, lucet, omniumque Eccleſiarum Dei caput exiſtit*; Multa alia afferri poſſent Concilia Oecumenica idem confirmantia, ut Lateranenſe Quartum, Lugdunenſe, Viennenſe, Florentinum &c.; ſed his abſtinemus, quia à Lutheranis parvi penduntur, utpotè poſt annum ſexcenteſimum celebrata.

Con-

Confirmatur idem ex Patribus, tùm Graecis, tùm Latinis. S. Ignatius Epiſtolam ad Romanos, ita ſcribit: *Ignatius Eccleſiae ſanctificatae; quae praeſidet in Regione Romanorum*: praeſidere autem eſt aliis ſupereſſe, ſivè eſſe caput omnium Eccleſiarum. S. Athanaſius in Epiſtola ad Felicem Papam: *Propterea vos*, inquit, *Praedeceſſoreſque veſtros, Apoſtolicos videlicet Praeſules, in ſummitatis arce conſtituit; omniumque Eccleſiarum curam habere praecepit, ut nobis ſuccurratis, &c.* S. Epiphanius haereſi 68. quae eſt Meletianorum, ſcribit: *Urſacius & Valens poenitentiam agentes, unà cum libellis profecti ſunt ad Beatum Julium Romanum Epiſcopum, pro ratione reddenda de ſuo errore, ac delicti*: Hi autem Epiſcopi erant: ſi igitur veniam petebant à Romano Pontifice, hic certè omnium Epiſcoporum eſt Judex. Reliqua Graecorum Patrum teſtimonia, hoc eſt Baſilii, Chryſoſtomi, Nanzianzeni, Cyrilli, Theodoreti; vide apud Bellarminum lib. II. de Romano Pontifice Cap. 15.

Ex Latinis prodit primo Hieronymus in Epiſtola ad Ageruchiam de Monogamia, ubi teſtatur, ſuà aetate à toto Orbe terrarum Romanam Eccleſiam conſuli conſueviſſe; & ab ea reſponſa mitti. Verba ſunt: *Ante annos plurimos, quum in chartis Eccleſiaſticis juvarem Damaſum Romanae Urbis Epiſcopum, & Orientis atque Occidentis, Synodicis conſulationibus reſponderem, &c.* Inſuper idem Hieronymus in Epiſtola ad Damaſum, adeò Catholicam ſententiam ſplendidè propugnat, ut ipſe ejus Commentator Eraſmus, Romanae Eccleſiae ſemper infenſus,

sus, non dubitat in Adnotationibus ad eam Epistolam profiteri; videri sibi Hieronymum asserere, omnes Ecclesias subjectas esse Apostolicae Sedi; locus est prolixior, sed tamen non praetereundus: *quamquam, ait, tui me terram magnitudo, invitat tamen humanitas. A Pastore, praesidium ovis peto; cum successore Piscatoris, & Discipulo Crucis loquor: ego nullum primum, nisi Christum sequens Beatitudini tuae, idest Cathedrae Petri communioni consocior, super illam Petram aedificatam Ecclesiam scio: quicumque extrà hanc Domum agnum comederit, profanus est; si quis in Arca Noe non fuerit, peribit regnante diluvio*. Et inferius: *Non novi Vitalem, Melitium respuo, ignoro Paulinum, quicumque tecum non colligit, spargit; hoc est, qui Christi non est, Antichristi est*.

Plura tamen sunt notanda in hoc praevalido Hieronymi testimonio. Primò, quod cum ipse ordinatus fuisset ab Episcopo Antiocheno Paulino, ut ipsemet testatur in Epistola ad Pammachium, quamquam neque natus ibi erat, neque renatus per Baptismum, quippè olim non attendebatur locus originis, ut alibi à nobis probatur; *quum*, inquam, *Antiochenus esset Presbyter*, *agnoscit tamen*, *se ovem Romani Pontificis*, *ab eoque uti Pastore praesidium petit*. Secundò fatetur, Damasum esse Petri successorem. Tertiò dicit, se neminem praeponere Damaso, nisi solum Christum, illum enim facit Christi Vicarium, cui velle se adhaerere, pronunciat, dum ait: *Ego nullum primum, nisi Christum sequens, Beatitudini tuae communione*

ne consocior. Quarto, Romani Pontificis Sedem ponit fundamentum ejus domus, & navis, quae est Ecclesia Universalis; itaque Romanum Pontificem, ut Ecclesiae Caput universae. Quinto, praefert Hieronymus Damasum Episcopo suo, qui tamen non erat unus de trivio, sed Patriarcha Antiochenus, cui antequam veniret Romam, per plures annos insederat Petrus; nihilominus pro ingenuitate sua, sic loquitur: *Non novi Vitalem, Meletium respuo, ignoro Paulinum, &c.*

Secundo. Cyprianus Epistola VIII. ad plebem universam: *Deus unus est, Christus unus & una Ecclesia, & Cathedra una super Petrum, Domini voce fundata.* Et libro IV. Epist. VIII. vocat Romanam Ecclesiam *radicem, & matricem Ecclesiae Catholicae.*

Tertio S. Augustinus in Epistola CLXI. scribit: *in Romana Ecclesia semper Apostolicae Cathedrae viguit Principatus*: Et in Epistola XCII. ad Innocentium, ipse cum integro Concilio Milevitano rogat Romanum Pontificem, ut coërceat Pelagianos, qui Palaestinam, & Africam praecipuè turbabant. Cur id non postulant à Primate Africae, Carthaginensi Episcopo? cur non ab Jerosolymorum Patriarcha? nisi quia intelligebant, in Africa, & Palaestina majorem esse Romani Pontificis, quam propriorum Episcoporum autoritatem. Alia Latinorum testimonia, videri poterunt apud nostros Polemycos, Lindanum lib. IX. Panopliae, Stapletonum lib. VI. Controversiarum, Alanum Copum Dialogo I., Albertum Pighium, Bellarminum, & alios.

Op-

Opponunt Heterodoxi. Primo locum Cypriani, quem inter alios, magni facit Salmasius; ait enim Beatus Martyr, in lib. de Unitate Ecclesiae: *Episcopatus unus est, cujus à singulis in solidum pars tenetur*. Igitur non est unus universi Orbis Episcopis. Addunt alterum ejusdem Cypriani locum, in Epistola ad Quintum, ubi ipse in Concilio residens scribit: *Neque enim quisquam nostrum, Episcopum se esse Episcoporum constituit, aut tyrannico terrore ad obsequendi necessitatem Collegas suos adigit; quando habeat omnis Episcopus pro licentia libertatis, & potestatis suae, arbitrium proprium, tamquam judicari ab alio non possit, quum nec ipse potest alterum judicare, sed expectamus universi judicium Domini nostri Jesu Christi, qui unus, & solus habet potestatem praeponendi nos in Ecclesiae suae gubernatione & de actu nostro judicandi.*

Respondeo ad primum: Episcopatum unum esse, sed eodem sensu, quo Ecclesia una esse dicitur: Ecclesia autem una est juxtà eundem Cyprianum ibidem; ut multi rami sunt, una arbor: multi rivi, una aqua: quemadmodum enim in ramis, & rivis unitas oritur ab unitate capitis, idest radicis, aut fontis; sic una est Ecclesia, & Episcopatus unus in radice, & in capite; licèt Episcopatus particulares sint multi. Itaque Episcopatus solidus possidetur ab omnibus Episcopis, sed non eodem modo. Petrus enim, ejusque successores eam partem tenent, quae est veluti radix, & fons: reliqui Episcopi, eas partes, quae sunt veluti rami, & rivi; est enim magnus Episcopatus corpus quoddam, non homo-

homogeneum, sed heterogeneum: undè sit haec diversitas, quà singuli partem suam administrant. Et ne discedamus ab exemplo, tàm ramus, quàm radix sunt partes arboris; vario tamen modo: nam radix alit, ac sustentat ramos, & quaecunque in ramis sunt, à radice proveniunt, non è contrario. Ità; licet Romana Ecclesia, & Romanus Episcopatus sit pars Ecclesiae Universae, & Episcopatus universalis, ut est Ecclesia, & Episcopatus Neapolitanus; attamen haec ab illa regitur, non ex adverso. Papa igitur non est Episcopus omnium Ecclesiarum, sed singulae habent suum verum, ac proprium Episcopum, sed comparatè ad alios; idest, quod radix ad ramos, fons ad rivulos.

Ad secundum respondeo, Cyprianum, dum ait: *Neque quisquam nostrum, Episcopum se esse Episcoporum, constituit*; loqui de iis, qui erant secum congregati in illo Concilio Carthaginensi, non de Episcopo Romano. Subdit, non esse agendos Collegas tyrannico terrore ad obsequendi necessitatem; hoc intelligens, Episcopos instituto examine rerum, posse liberè sententiam suam dicere, nec debere à Praeside tyrannicè cogi ad suam sententiam, antequam quaestio definita sit. Quae est S. Augustini mens in exponendis his Cypriani verbis lib. III. de Baptismo Cap. 3. quod addit, *Episcopum non posse judicari, nisi à solo Deo, à quo constituitur*: intelligendum est de rebus occultis: nam de cetero, quod possit Romanus Pontifex judicare, & deponere Episcopos haereticos, ipsi Cypriano compertum

erat,

erat, quum in lib. III. Epist. 13. ad Stephanum Papam, eum hortatur, ut jubeat deponi Episcopum Arelatensem, & alium ejus loco constitui.

Secundo, opponunt Hieronymum in Epistola ad Evagrium illis verbis: *Si autoritas quaeritur, Orbis major est Urbe: quid mihi profers unius Urbis consuetudinem? quid paucitatem, de qua ortum est supercilium, in leges Ecclesiae vindicas? ubicunque fuerit Episcopus, sivè Romae, sivè Eugubii, sivè Constantinopoli, sivè Rhegii, sivè Alexandriae, sivè Tanis, ejusdem meriti, & ejusdem Sacerdotii: potentia divitiarum, & paupertatis humilitas sublimiorem, vel inferiorem Episcopum non facit; ceterum omnes Apostolorum successores sunt*. Citat etiam Gratianus Can. *legimus* distinct. 93.

Respondeo, Hieronymum ibi improbare pravam quamdam consuetudinem, quae observabatur à Diaconis Ecclesiae Romae: quoniam enim pauci erant, & curam habebant thesauri Ecclesiastici, superbire coeperant, & se praeferre Presbyteris; qui è contrario propter multitudinem, facti erant contemptibiles; undè ibidem, ait Hieronymus: *Omne quod rarum est, plus appetitur: Pulegium apud Judaeos, pipere pretiosius est. Diaconos paucitate, honorabiles; Presbyteros, turba contemptibiles facit*. Itaque quum Diaconi coepissent sedere cum Presbyteris, Sedente Episcopo, quum tamen stare debuissent, non autem sedere: & insuper in domesticis conviviis benedictiones Presbyteris dare: haec omnia damnat Hieronymus, aitque

que, non debere attendi unius Urbis consuetudinem in rebus hujusmodi, contra consuetudinem totius Orbis.

Ad id, quod adjicebatur de Episcopatuum aequalitate, ubicunque fuerit Episcopus, sivè Romae, sivè Eugubii, &c. respondeo: Hieronymum esse intelligendum de Episcopatibus ratione Ordinis, non ratione Jurisdictionis: neque enim negare voluit, aut potuit, majorem esse ditionem Episcopi Alexandrini, quam Tanensis; quum constet, illum tribus amplis Provinciis, istum uni Civitati, & quidem parvae, praefuisse. Hinc est, quod illis usus est verbis: *Ejusdem meriti est, & ejusdem Sacerdotii*. Sacerdotio autem Ordo inest ex natura rei, non autem Jurisdictio; quae potest ab eo seorsum concedi.

Tertio opponunt, quod Christus agnovit supra se Imperatoriam Majestatem, illis verbis Johannis XIX. *Non haberes potestatem adversus me ullam, nisi tibi datam esset desuper*. Papa ergo, qui Christi se Vicarium jactat, multo magis Laicae potestati subjectus esse debet. Confirmatur id, tùm ex S. Augustino in Commentario ad eum locum, ubi apertè docet; potestatem Pilati in Christum, fuisse divinitùs concessam, juxtà illud Apostoli ad Romanos XIII. *Non est potestas nisi à Deo*; tùm ex S. Bernardo, qui in Epistola 42. ad Henricum Episcopum Senonensem ait: *dicite, si audetis, sui Praesulis Deum ordinationem nescire: quum Romani Praesidis potestatem, Christus super se quoque fateatur fuisse Coelitus ordinatam*.

Respondeo, Christum non fuisse ulli homini subjectum, quum esset Deus; sed quum formam servi accepisset, toleravit potestatem, quam Pilatus in eum exercebat de *facto*, non de *jure*. Sic ad vitandum scandalum, quum rogatus esset tributum, docuit primùm se non teneri; deinde dari jussit: Matthaei XVII. Quum igitur Pilatus potestatem habuerit in omnes Judaeos, exercuit eam in Christum, qui tamquam merus homo, & Judaeus ad ipsum ductus fuerat: quemadmodum si Clericus mutatâ veste offeratur Magistratui judicandus, posset Praetor in illum animadvertere, ex autoritate, quam in Laicos habet.

Quarto: Paulus Actorum XXV. Caesarem appellavit; sentiebat igitur, se illi esse subjectum: ait enim, *ad Tribunal Caesaris sto, ibi me oportet judicari, Caesarem appello*. Si igitur Petrus fuit ipsi aequalis, debet etiam à Caesare judicari.

Respondeo, jam superiùs ostensum fuisse, Paulum fuisse Petro aequalem in Apostolatu, non autem in Primatu; sed ut directè argumento satisfiat; dicimus cum Alberto Pighio lib. V. Hierarchiae Ecclesiasticae Cap. 7., differentiam esse inter Principes Ethnicos, & Christianos: quo enim tempore Principes erant Gentiles, ipsi Pontifices judicabant, nec poterant ab illis judicari, qui non sunt, nisi Fidelium Judices, secundum Apostolum I. ad Corinthios VI. *Quid ad me de his, qui foris sunt, judicare?* Porrò Gentiles, erant legitimi Christianorum Judices: lex enim Evangelica ne-

neminem privat dominio, aut jure suo; sicut ergo ante Evangelium fuere homines subditi Principibus, ità & posteà; & hac ratione Paulus quum accusaretur seditionis, ac tumultus in Populo excitati, jure Caesarem appellavit. At postquam Principes *Christiani* facti sunt, & spontè leges Evangelicas susceperunt; continuò se tanquam Pastori oves, & membra capiti, subjecerunt se Praesidi Ecclesiasticae Hierarchiae; ideoque in spiritualibus ab ipso judicandi sunt, juxtà legem Evangelicam.

Quintò opponunt citatum Pauli locum ad Romanos XIII. *Omnis anima sit subdita potestatibus sublimioribus*: & Petri Epistola I. Cap. II. *Subjecti estote omni humanae creaturae propter Deum: sivè Regi, quasi praecellenti, &c.* quibus testimoniis nemo excipitur, non Clericus, non Episcopus, non Papa, dicit enim *omnis anima*.

Respondeo, eas propositiones esse genericas; neque ex iis probari, Papam subesse Principi, sed tantùm, subditos debere parere superiori suo: nec obstat, quod exemplum utrobique affertur de Rege, nam exempla non restringunt regulam; sed ideò de Rege verba fiunt, quia tunc Christiani accusabantur perduellionis à Calumniatoribus. Ad rem S. Bernardus Epist. 183. ad Conradum Imperatorem: *Legi*, inquit, *omnis anima subdita sit potestatibus sublimioribus, quam sententiam cupio vos custodire in exibenda reverentia Petri Vicario, sicuti ipsam vobis vultis ab universo servari Imperio*.

Sextò objicit Calvinus Canonem XXII. Concilii Milevitani 2., cui Augustinus praefuit, ubi prohibetur appellatio ad Summum Pontificem, in haec verba: *Quod si & ab eis provocandum putaverint, non provocent, nisi ad Africana Concilia, vel ad Primates Provinciarum suarum. Ad Transmarina autem qui putaverit appellandum, à nullo intrà Africam, in communionem suscipiatur*. Suavis autem est Gratianus, dum in Can. *Placuit* caussa II. quaest. 6. relatis hujus Canonis verbis; assuit exceptionem istam: *nisi fortè ad Apostolicam Sedem appelletur*. Indubitatum enim est, per *Transmarina* judicia, intelligi Romana, ut docet Balsamon in Canonem XXVIII. Concilii Carthaginensis, quae etiam dicuntur ab Augustino in Epist. 162. *Clericorum improba refugia*.

Respondeo: in eo Canone, non aliud statui, quam Clericis inferioribus, non licere provocare à sententia Episcopi sui, ad judicia Transmarina: sic enim incipit Canon. *Placuit, ut Presbyteri, Diaconi, & ceteri inferiores Clerici in caussis, quas habuerint, &c.* ea ratione, quia quaecunque negotia in suis locis, ubi orta sunt, finienda: ut habetur in Can. ultimo Ecclesiae Africanae in Bibliotheca Justelli; & facinus ubi admissum est, debet expiari, ut ex Symmacho notat Cujacius in Cap. *Postulasti* XIV de foro competente. Itaque ne Clerici inferiores tam longo appellationis judicio permisso, debitam poenam eluderent: Constituere Milevitani Patres, ut ab Episcopo proprio judicati, provocare possent ad Synodum finitimorum Episco-

Episcoporum, & ab illa, ad Synodum totius, Dioeceseos, quod Nationale Concilium dicimus: inde vero, ne ad Oecumenicam quidem Synodum, provocatio esset.

At hoc nihil facit contra Primatum Pontificis; sufficit enim, Africanos non irritasse, quod Concilium Sardicense (quod habitum fuit veluti appendix quaedam Concilii Nicaeni) Canone IV., & VII. voluit, Episcopos posse appellare ad Pontificem: idemque tamen statuit, caussas Clericorum inferiorum, terminari apud vicinos Episcopos. Imò, licèt Clericis prohibitum fuerit in Milevitano, ne Pontificem appellarent; non tamen prohibitum fuit, nec prohiberi potuit, nè Pontifex, appellantis libellum susciperet; undè quum Apiarius Presbyter ad Romanum provocasset: Pontifex eum admisit, & gradui suo restitui fecit, ut patet ex Epistolis Africanorum ad Bonifacium, & Coelestinum Papam. Vide Emmanuelem Schelstrate dissertatione 1. de Ecclesia Africana Cap. 7. ubi contra Petrum de Marca disputat.

Septimo opponitur S. Gregorius apud Gratianum in Can. si *quis* caussa II. quaestione septima, ubi haec habet: *Si quis nos super his redarguere voluerit, veniat ad Sedem Apostolicam, ut ibi ante confessionem B. Petri mecum justé decertet, quatenus ibi unus ex nobis, sententiam suscipiat suam.*

Respondet Bellarminus, haec verba in Operibus Gregorii Magni, non reperiri: neque enim unus est hic locus, in quo alucinatur Gratianus; quum enim non ipsos fontes requi-

 fierit,

fierit, sed vetustiores Collectores compilaverit; facilè fuit, eorum errores in suum transferre volumen, & sententias Patrum vel mutilas, vel depravatas, vel suppositas obtrudere, falsò inscribere, vel propriis autoribus abjudicata aliis tribuere, ut adnotarunt Romani Correctores, & Antonius Augustinus in libris de *Emendatione Gratiani:* sed etiam, si citatum locum, ut genuinum agnoscamus, responderi potest: Gregorium illis verbis, non provocare ad judicium hominum, sed solius Dei: videtur enim loqui de disceptatione per juramentum, & de expectatione Divinae sententiae, quae saepe statim contra perjuros fertur.

Uultimum argumentum. Licet unicuique Pontificem occidere, si ab eo injustè fuerit lacessitus: igitur à fortiori, licebit Regibus, vel Concilio deponere Pontificem, si is Rempublicam perturbet, vel pessimo suo exemplo animarum offendiculum, esse deprehendatur.

Respondet Cajetanus in Tractatu de autoritate Papae, & Concilii, non rectè inferri. Etenim ad resistendum invasori, & se defendendum, non requiritur ulla autoritas, nec est opus, ut qui invadatur sit Judex, & superior ejus, à quo invaditur; at verò ad judicandum, & puniendum requiritur autoritas: itaque sicut licet resistere Pontifici invadenti corpus, ita licet invadenti animas, vel turbanti Rempublicam, & multo magis si Ecclesiam destruere niteretur: at non judicando, puniendo, vel deponendo, quod non est, nisi Superioris; sed impediendo, ne voluntatem suam exe-

qua-

quatur, & resistendo ei non faciendo, quod jubet.

PROPOSITIO QUARTA.

Judicium Romani Pontificis, est locus Theologicus.

PRobatur. Romanus Pontifex ex probatis habet Primatum in Ecclesia jure Divino: ergo jus habet docendi eos, quibus à Christo Praepositus fuit, juxtà illud Petro dictum; *Pasce oves meas*. Pastoris autem hoc est, ut solvat dubia, quae nasci possunt circa Scripturarum sensum, proponat Traditionem Patrum, praecipiat Canonum observantiam in universo Orbe, & compellat omnes Fideles: imò etiam ipsos primarum Ecclesiarum Episcopos, etiam per censuras, & per ipsam excommunicationem, ut sanam Fidem profiteantur, atque ad normam Evangelii, & Sacrorum Canonum mores suos componant.

Quod autem Ecclesia Universalis hanc potestatem in Summo Pontifice semper venerata sit, probatur per singula: etenim secundo saeculo Victor Papa, interminatus est Asiaticis excommunicationem, propterea quod Pascha cum Judaeis celebrarent. Asiatici porrò, ut se defenderent, non excipiebant Romano Pontifici, jus non esse excommunicandi tot Ecclesias Orientis, quod sine dubio non omisissent; sed hoc uno se tuebantur, quòd praxis, quàm se-

quebantur, ad ipsos pervenerat ex Apostolica Traditione: ideoque non esse caussam, cur excommunicari deberent. Eandem potestatem in ipso Victore, agnovit Irenaeus Lugdunensis Antistes, scribens, ut dispensatione potius, quam potestate uteretur, nec universas Ecclesias abscinderet: ut est apud Eusebium lib. V. Historiae Ecclesiasticae Cap. 24.

Sequentibus saeculis eadem Pontificis autoritas sartatecta semper fuit; etenim III. saeculo schisma Novatianorum Decreto Cornelii Papae compressum fuit, cujus in omnibus Provinciis ratio habita fuit, referente Eusebio lib. VI. Historiarum Cap. 23. illis verbis: *quumque in Provinciis, Antistites quid agendum esset consultassent, hujusmodi decretum cunctis promulgatum est, &c.* Ineunte quoque saeculo V. Pelagiana haeresis, Romanae Sedis sententia proscripta est, atque omnes Orbis Ecclesiae, ejus definitionem reverenter amplexae sunt, ut testatur S. Augustinus Sermone II. de verbis Apostoli, ajens: *De hac caussa duo Concilia missa sunt ad Sedem Apostolicam: indè etiam rescripta venerunt, caussa finita est; utinam aliquando finiatur error.*

Idem confirmant sententiae condemnatoriae Damasi Papae in Macedonium: Coelestini in Nestorium: Leonis in Euthychetem: Agathonis in Monothelitas, quorum damnationi, universus Christianorum coetus subscripsit; indè etiam emanarunt innumerae Constitutiones, ac Decretales Epistolae, quibus refertus est Gratiani Codex, & integrum Raymundi volumen; quas-

quasque ante Protestantium defectionem, Universa Ecclesia, ut supremam praeleferentes autoritatem, maximè venerata est.

Praeterea, id ostendit perpetua Ecclesiae praxis. Majores enim nostri, in caussis dubiis, Romanum Episcopum consulere solebant, ejusque responsis omninò stare. Sic non solum consultationibus Episcoporum, sed etiam particularium Synodorum respondebant, ut restatur Innocentius I. Epistola 4., ubi ait: *Mirari non possumus, dilectionem tuam sequi instituta majorum, omniaque, quae possunt aliquam dubitationem recipere, ad Nos, quasi ad Caput, atque ad apicem Episcopatus referre, ut consulta Sedes Apostolica ex ipsis rebus dubiis, certum aliquid faciendum pronunciet.*

Sed & ipsum, quod Episcopis, ac ceteris etiam Sanctis Patribus in usu fuit; qui licèt speciali lumine fuerint à Deo insigniti, autoritati tamen Pontificis Romani, primas deferre non dubitarunt, eumque in rebus arduis consulere. Quod praeter allatum Augustini testimonium, probant paritèr nonnulla loca S. Hieronymi, qui saepe Fidem, quam profitebatur defendit; ea ratione, quia idem sentiebat cum Romano Episcopo. Itaque in Epistola ad Marcum ait: *Aut in eis placet haereticum me cum Occidente, haereticum cum Aegypto, hoc est cum Damaso, Petroque condemnent*. Idem in Epistola ad Damasum, à quo sciscitatus fuerat, an tres hypostases, an unam tantum in Trinitate admittere deberet, haec habet: *Beatitudini tuae, idest Cathedrae Petri communione consocior: dignare*

scri-

scripta transmittere. Eadem quoque habet de sua cum Antiochenis communione: simul etiam, cui apud Antiochiam debeant communicare, significes. Ego interim clamito; si quis Cathedrae Petri jungitur, meus est. Sed jam tempus admonet, ut huic primo libro prosagogico, modum imponamus.

LIBER SECUNDUS

De Deo Uno, & Trino

CAPUT PRIMUM.

De Existentia Dei.

PRaeclarè quidem, ac sapienter Cicero in libro I. de Natura Deorum scripsisse videtur, nullas esse gentes sic immanitate efferatas, ut apud eas nulla suspicio Deorum sit, & ibidem ait: *Omnium gentium, generumque hominibus, ita videri esse Deos.*

Utinam verò nostris temporibus nulli sint, de quibus videatur praedixisse Propheta: *Dixit insipiens in corde suo, non est Deus.* Sanè inter veteres nonnulli Atheismi infamiâ celebres, fuisse perhibentur, Diagoras Melius, Theodorus cognomento Atheus, Protagoras Abderita, Epicurus, aliique, quos recenset Sextus Empiricus lib. VIII. contra Mathematicos. Ego autem, si quid judicare possum, existimo, neminem fuisse sani capitis hominem, qui nul-

lum

lum prorſus Divinitatis conceptum habuerit; ſed quod de Philoſophis, aliiſque quibuſdam narratur: ita accipiendum puto, ut Atheiſmi notam incurrerint; propterea quod Gentilium Deos contemnerent, qui omnium peſſimè de Deo ſentire videbantur. Qua de re, Socratem Athenis ad cicutae hauſtum damnatum fuiſſe, credendum eſt. Quis enim ſibi perſuadeat, homines contemplationi deditos, nullum Divinitatis ſenſum habere potuiſſe, ſaltem ſi Dei nomine intelligatur cum Stoicis, ipſa Univerſitas rerum, juxtà illud Lucani,

Juppiter eſt quodcumque vides, quocumque moveris.

Utcumque tamen ſit, in ipſo Theologiae controverſae veſtibulo, & nobis demonſtrandum, primum Theologicum fundamentum, Dei nimirum exiſtentia. Quam in rem, diverſi generis argumenta, proferri ſolent; quaedam ſcilicet, quibus SS. Patres uſi ſunt adverſus Gentes, ut Athanaſius, Baſilius, Nazianzenus, Arnobius, Lactantius, quae plerumque deſumuntur ex ipſa mundi aſpectabilis, ejuſque partium contemplatione. Sed his argumentis ego ſuſpendendum duxi: quum enim noſtra aetas metaphyſicis ſpeculationibus magnopere delectetur; fruſtrà delicatis Philoſophorum auribus, eas rationes adhibebas, quae nullam demonſtrationis vim habeant: undè non immeritò Petavius, ea vocat argumenta *communia*, & *popularia*: hoc eſt, ut idem explicat, à ſenſibus petita, vulgi apta judiciis; quae, quidem argumenta, fateor cum eodem Petavio lib. 1. de

Deo

Deo Cap. 1. §. 4. non iccircò contemnenda esse, quia singula non necessariò; & ἀποδεικτικῶς evincunt, neque ex anterioribus; primisque sunt petita: sed eo magni facienda, quia collecta in unum, & coacervata, necessariam propemodum fidem faciunt apud eos, qui & sui compotes sunt, & rationis habent aliquid, ac judicii.

At non ideo, quorundam socordiae blandiendum est, qui nullam existentiae Dei demonstrationem dari posse, jactant: inter quos perridiculus videtur Aristoteles II. Physicorum Cap. 1., textu 6. decernens: Ridiculum esse, conari demonstrare, quod sit natura; quum eam esse evidens sit: evidentia autem per obscura demonstrare, illius est, qui dijudicare nequit, quid sit per se perspicuum, aut non sit. Quasi vel naturam esse, sit notio prima, vel non possit quis dubitare, non tantum de existentia rerum naturalium, sed de existentia sui ipsius, quod jam omnibus vel tyronibus in Philosophia, exploratum est. Illa autem philosophandi ratio, eorum est propriè, qui ratiocinium habent in oculis, & tactu: quemadmodum & Aristotelis admirator Marcus Tullius, argumentatur lib. II. de Natura Deorum: quod qui dubitat (esse Deum scilicet) haud sanè intelligo, cur non idem Sol sit, an nullus sit, dubitare possit.

Secundi generis argumenta, sunt Theologorum, quae paulo subtiliora, Petavius appellat; sunt autem ejusmodi, ut si appendantur in statera Metaphysica, nihil ponderis habere comperientur; cujus rei periculum facere, non erit a nostro proposito alienum. Dixi, si appen-

pendantur in statera Metaphysica, nihil ponderis habere: ceterum non negaverim ex eis confici, ut ex *effectis*, & iis, quae posteriora sunt; atque etiam iis ex incommodis, & absurdis, quae in contradicentium parte altera cernuntur, Dei existentia probetur, ut bene innuit Petavius loc. cit. §. 3. Igitur prima ratio Damasceni talis est. Quidquid est, vel est creatum, vel increatum: omne autem creatum est mutabile; nam cujus esse à mutatione coepit, mutationi subjectum manet, sivè corrumpatur, sivè mutetur voluntate: At quum omnia mutari videamus, etiam Angelos, erunt omnia creata; ergò ab aliquo creata sunt, qui ipse erit increatus, & immutabilis.

Hoc argumentum peccat multiplicitèr in ratione verae demonstrationis, nec Atheum convincit. Primò, quia supponit rationem creationis, quam Atheus ignorat: nam per creationem, vel intelligitur productio ex nihilo simplicitèr, & haec repugnat, nàm alàs posset quis, dum cogitat, non esse; si enim de nihilo potest aliquid affirmari, hoc est, quod potest esse causa alicujus rei, poterit de nihilo affirmari cogitatio; adeòque dici, me dum cogito esse nihil; quod quum sit impossibile, impossibile erit mihi cogitare, quod aliquid fiat ex nihilo. Vel intelligitur productio entis ex nihilo à Deo facta, & tunc supponitur Deus, antequàm probetur.

Secundùm argumentum supponit existentiam rerum materialium, quam tamen scire non possum, nisi postquam novi existentiam meam, &

& existentiam Dei: qui enim nescit, se existere, simul nescit esse affirmantem, aut negantem, hoc est certò se affimare, vel negare; qui vero Deum non novit, licet multa pro veris habent, semper tamen potest dubitare, an tali naturâ praeditus sit, ut fallatur in omnibus, etiam quae evidentissima apparent; ideòque non potest habere certam scientiam alicujus rei, priusquam noverit autorem suae originis. Denique responderet Aristoteles, Mundum esse ab aeterno, ideòque nihil esse creatum.

Secunda ratio sumitur ex necessario, & contingente. Si enim sunt contingentia, quae possunt existere, & non existere, dabitur ens necessarium, quod est Deus. Si enim omnia supponantur contingentia, potuerunt omnia non existere: quâ suppositione facta, nullum ens esset pòssibile, nec ipse Mundus: nam ut aliquid sit possibile, quid debet habere caussam, à qua produci possit, quia non ens, non potest esse caussa suì ipsius: sed ex suppositione, nullum ens existit; ergo nullum ens est possibile.

Sed posset quis respondere; contingentiam nihil esse in rebus ipsis, sed esse tantum defectum nostri intellectus, non autem quod ex parte rei possit existere, vel non existere, quod vulgò vocant contingens reale. Hac fortasse ratione, quidquid existit, non ex sua vi, sed ex vi causae producentis existit; hoc est ex vi potentiae Dei: qui quum ab aeterno decreverit, quae sint producenda, & nihil magis sit necessarium, ut existat, quam quod Deus exstitu-

pendantur in ſtatera Metaphyſica, nihil ponderis habere: ceterum non negaverim ex eis confici, ut ex effectis, & iis, quae poſteriora ſunt; atque etiam iis ex incommodis, & abſurdis, quae in contradicentium parte altera cernuntur, Dei exiſtentia probetur, ut bene innuit Petavius loc. cit. §. 3. Igitur prima ratio Damaſceni talis eſt. Quidquid eſt, vel eſt creatum, vel increatum: omne autem creatum eſt mutabile; nam cujus eſſe à mutatione coepit, mutationi ſubjectum manet, ſivè corrumpatur, ſivè mutetur voluntate: At quum omnia mutari videamus, etiam Angelos, erunt omnia creata; ergò ab aliquo creata ſunt, qui ipſe erit increatus, & immutabilis.

Hoc argumentum peccat multiplicitèr in ratione verae demonſtrationis, nec Atheum convincit. Primò, quia ſupponit rationem creationis, quam Atheus ignorat: nam per creationem, vel intelligitur productio ex nihilo ſimplicitèr, & haec repugnat, nàm aliàs poſſet quis, dum cogitat, non eſſe; ſi enim de nihilo poteſt aliquid affirmari, hoc eſt, quod poteſt eſſe cauſa alicujus rei, poterit de nihilo affirmari cogitatio; adeòque dici, me dum cogito eſſe nihil; quod quum ſit impoſſibile, impoſſibile erit mihi cogitare, quod aliquid fiat ex nihilo. Vel intelligitur productio entis ex nihilo à Deo facta, & tunc ſupponitur Deus, antequàm probetur.

Secundùm argumentum ſupponit exiſtentiam rerum materialium, quam tamen ſcire non poſſum, niſi poſtquam novi exiſtentiam meam,

&

& existentiam Dei: qui enim nescit, se existere, simul nescit esse affirmantem, aut negantem, hoc est certò se affimare, vel negare; qui vero Deum non novit, licet multa pro veris habent, semper tamen potest dubitare, an tali naturâ praeditus sit, ut fallatur in omnibus, etiam quae evidentissima apparent; ideòque non potest habere certam scientiam alicujus rei, priusquam noverit autorem suae originis. Denique responderet Aristoteles, Mundum esse ab aeterno, ideòque nihil esse creatum.

Secunda ratio sumitur ex necessario, & contingente. Si enim sunt contingentia, quae possunt existere, & non existere, dabitur ens necessarium, quod est Deus. Si enim omnia supponantur contingentia, potuerunt omnia non existere: quâ suppositione facta, nullum ens esset pòssibile, nec ipse Mundus: nam ut aliquid sit possibile, quid debet habere caussam, à qua produci possit, quia non ens, non potest esse caussa sui ipsius: sed ex suppositione, nullum ens existit; ergo nullum ens est possibile.

Sed posset quis respondere; contingentiam nihil esse in rebus ipsis, sed esse tantum defectum nostri intellectus, non autem quod ex parte rei possit existere, vel non existere, quod vulgò vocant contingens reale. Hac fortasse ratione, quidquid existit, non ex sua vi, sed ex vi caussae producentis existit; hoc est ex vi potentiae Dei: qui quum ab aeterno decreverit, quae sint producenda, & nihil magis sit necessarium, ut existat, quam quod Deus exstitu-

pendantur in statera *Metaphysica*, nihil ponderis habere : *ceterum* non negaverim ex eis confici, ut ex *effectis*, & iis, quae posteriora sunt; atque etiam iis ex incommodis, & absurdis, quae in contradicentium parte altera cernuntur, Dei existentia probetur, ut bene innuit Petavius loc. cit. §. 3. Igitur prima ratio Damasceni talis est. Quidquid est, vel est creatum, vel increatum : omne autem creatum est mutabile; nam cujus esse à mutatione coepit, mutationi subjectum manet, sivè corrumpatur, sivè mutetur voluntate : At quum omnia mutari videamus, etiam Angelos, erunt omnia creata; ergò ab aliquo create sunt, qui ipse erit increatus, & immutabilis.

Hoc argumentum peccat multipliciтèt in ratione verae demonstrationis, nec Atheum convincit. Primò, quia supponit rationem creationis, quam Atheus ignorat : nam per creationem, vel intelligitur productio ex nihilo simplicitèr, & haec repugnat, nàm alìàs posset quis, dum cogitat, non esse; si enim de nihilo potest aliquid affirmari, hoc est, quod potest esse causa alicujus rei, poterit de nihilo affirmari cogitatio; adeòque dici, me dum cogito esse nihil; quod quum sit impossibile, impossibile erit mihi cogitare, quod aliquid fiat ex nihilo. Vel intelligitur productio entis ex nihilo à Deo facta, & tunc supponitur Deus, antequàm probetur.

Secundùm argumentum supponit existentiam rerum materialium, quam tamen scire non possum, nisi postquam novi existentiam meam,

&

& existentiam Dei: qui enim nescit, se existere, simul nescit esse affirmantem, aut negantem, hoc est certò se affimare, vel negare; qui vero Deum non novit, licet multa pro veris habent, semper tamen potest dubitare, an tali naturâ praeditus sit, ut fallatur in omnibus, etiam quae evidentissima apparent; ideòque non potest habere certam scientiam alicujus rei, priusquam noverit autorem suae originis. Denique responderet Aristoteles, Mundum esse ab aeterno, ideòque nihil esse creatum.

Secunda ratio sumitur ex necessario, & contingente. Si enim sunt contingentia, quae possunt existere, & non existere, dabitur ens necessarium, quod est Deus. Si enim omnia supponantur contingentia, potuerunt omnia non existere: quâ suppositione facta, nullum ens esset pòssibile, nec ipse Mundus: nam ut aliquid sit possibile, quid debet habere caussam, à qua produci possit, quia non ens, non potest esse caussa sui ipsius: sed ex suppositione, nullum ens existit; ergo nullum ens est possibile.

Sed posset quis respondere; contingentiam nihil esse in rebus ipsis, sed esse tantum defectum nostri intellectus, non autem quod ex parte rei possit existere, vel non existere, quod vulgò vocant contingens reale. Hac fortasse ratione, quidquid existit, non ex sua vi, sed ex vi causae producentis existit; hoc est ex vi potentiae Dei: qui quum ab aeterno decreverit, quae sint producenda, & nihil magis sit necessarium, ut existat, quam quod Deus exstitu-

pendantur in ſtatera Metaphyſica, nihil ponderis habere: ceterum non negaverim ex eis confici, ut ex effectis, & iis, quae poſteriora ſunt; atque etiam iis ex incommodis, & abſurdis, quae in contradicentium parte altera cernuntur, Dei exiſtentia probetur, ut bene innuit Petavius loc. cit. §. 3. Igitur prima ratio Damaſceni talis eſt. Quidquid eſt, vel eſt creatum, vel increatum: omne autem creatum eſt mutabile; nam cujus eſſe à mutatione coepit, mutationi ſubjectum manet, ſivè corrumpatur, ſivè mutetur voluntate: At quum omnia mutari videamus, etiam Angelos, erunt omnia creata; ergò ab aliquo creata ſunt, qui ipſe erit increatus, & immutabilis.

Hoc argumentum peccat multiplicitèr in ratione verae demonſtrationis, nec Atheum convincit. Primò, quia ſupponit rationem creationis, quam Atheus ignorat: nam per creationem, vel intelligitur productio ex nihilo ſimplicitèr, & haec repugnat, nàm alìàs poſſet quis, dum cogitat, non eſſe; ſi enim de nihilo poteſt aliquid affirmari, hoc eſt, quod poteſt eſſe cauſa alicujus rei, poterit de nihilo affirmari cogitatio; adeòque dici, me dum cogito eſſe nihil; quod quum ſit impoſſibile, impoſſibile erit mihi cogitare, quod aliquid fiat ex nihilo. Vel intelligitur productio entis ex nihilo à Deo facta, & tunc ſupponitur Deus, antequàm probetur.

Secundùm argumentum ſupponit exiſtentiam rerum materialium, quam tamen ſcire non poſſum, niſi poſtquam novi exiſtentiam meam,

&

& existentiam Dei: qui enim nescit, se existere, simul nescit esse affirmantem, aut negantem, hoc est certò se affimare, vel negare; qui vero Deum non novit, licet multa pro veris habent, semper tamen potest dubitare, an tali naturâ praeditus sit, ut fallatur in omnibus, etiam quae evidentissima apparent; ideòque non potest habere certam scientiam alicujus rei, priusquam noverit autorem suae originis. Denique responderet Aristoteles, Mundum esse ab aeterno, ideòque nihil esse creatum.

Secunda ratio sumitur ex necessario, & contingente. Si enim sunt contingentia, quae possunt existere, & non existere, dabitur ens necessarium, quod est Deus. Si enim omnia supponantur contingentia, potuerunt omnia non existere: quâ suppositione facta, nullum ens esset pòssibile, nec ipse Mundus: nam ut aliquid sit possibile, quid debet habere caussam, à qua produci possit, quia non ens, non potest esse caussa sui ipsius: sed ex suppositione, nullum ens existit; ergo nullum ens est possibile.

Sed posset quis respondere; contingentiam nihil esse in rebus ipsis, sed esse tantum defectum nostri intellectus, non autem quod ex parte rei possit existere, vel non existere, quod vulgò vocant contingens reale. Hac fortasse ratione, quidquid existit, non ex sua vi, sed ex vi causae producentis existit; hoc est ex vi potentiae Dei: qui quum ab aeterno decreverit, quae sint producenda, & nihil magis sit necessarium, ut existat, quam quod Deus extitu-

lum prorſus Divinitatis conceptum habuerit; ſed quod de Philoſophis, aliiſque quibuſdam narratur: ita accipiendum puto, ut Atheismi notam incurrerint; propterea quod Gentilium Deos contemnerent, qui omnium peſſimè de Deo ſentire videbantur. Qua de re, Socratem Athenis ad cicutae hauſtum damnatum fuiſſe, credendum eſt. Quis enim ſibi perſuadeat, homines contemplationi deditos, nullum Divinitatis ſenſum habere potuiſſe, ſaltem ſi Dei nomine intelligatur cum Stoicis, ipſa Univerſitas rerum, juxtà illud Lucani,

Juppiter eſt quodcumque vides, quocumque moveris.

Utcumque tamen ſit, in ipſo Theologiae controverſae veſtibulo, & nobis demonſtrandum, primum Theologicum fundamentum, Dei nimirum exiſtentia. Quam in rem, diverſi generis argumenta, proferri ſolent; quaedam ſcilicet, quibus SS. Patres uſi ſunt adverſus Gentes, ut Athanaſius, Baſilius, Nazianzenus, Arnobius, Lactantius, quae plerumque deſumuntur ex ipſa mundi aſpectabilis, ejuſque partium contemplatione. Sed his argumentis ego ſuſpendendum duxi: quum enim noſtra aetas metaphyſicis ſpeculationibus magnopere delectetur; fruſtrà delicatis Philoſophorum auribus, eas rationes adhiberem, quae nullam demonſtrationis vim habeant: undè non immeritò Petavius, ea vocat argumenta *communia*, & *popularia*: hoc eſt, ut idem explicat, à ſenſibus petita, vulgi apta judiciis; quae quidem argumenta, fateor cum eodem Petavio lib. 1. de

Deo

Deo Cap. 1. §. 4. non iccircò contemnenda esse, quia singula non necessariò, & ἀποδεικτικῶς evincunt, neque ex anterioribus, primisque sunt petita: sed eo magni facienda, quia collecta in unum, & coacervata, necessariam propemòdum fidem faciunt apud eos, qui & sui compotes sunt, & rationis habent aliquid, ac judicii.

At non ideo, quorundam socordiae blandiendum est, qui nullam existentiae Dei demonstrationem dari posse, jactant: inter quos perridiculus videtur Aristoteles II. Physicorum Cap. 1., textu 6. decernens: Ridiculum esse, conari demonstrare, quod sit natura; quum eam esse evidens sit: evidentia autem per obscura demonstrare, illius est, qui dijudicare nequit, quid sit per se perspicuum, aut non sit. Quasi vel naturam esse, sit notio prima, vel non possit quis dubitare, non tantum de existentia rerum naturalium, sed de existentia sui ipsius, quod jam omnibus vel tyronibus in Philosophia, exploratum est. Illa autem philosophandi ratio, eorum est propriè, qui ratiocinium habent in oculis, & tactu: quemadmodum & Aristotelis admirator Marcus Tullius, argumentatur lib. II. de Natura Deorum: quod qui dubitat (esse Deum scilicet) haud sanè intelligo, cur non idem Sol sit, an nullus sit, dubitare possit.

Secundi generis argumenta, sunt Theologorum, quae paulo subtiliora, Petavius appellat; sunt autem ejusmodi, ut si appendantur in statera Metaphysica, nihil ponderis habere comperientur; cujus rei periculum facere, non erit a nostro proposito alienum. Dixi, si ap-

pen-

pendantur in statera Metaphysica, nihil ponderis habere : ceterum non negaverim ex eis confici, ut ex effectis, & iis, quae posteriora sunt; atque etiam iis ex incommodis, & absurdis, quae in contradicentium parte altera cernuntur, Dei existentia probetur, ut bene innuit Petavius loc. cit. §. 3. Igitur prima ratio Damasceni talis est. Quidquid est, vel est creatum, vel increatum : omne autem creatum est mutabile; nam cujus esse à mutatione coepit, mutationi subjectum manet, sivè corrumpatur, sivè mutetur voluntate : At quum omnia mutari videamus, etiam Angelos, erunt omnia creata; ergò ab aliquo creata sunt, qui ipse erit increatus, & immutabilis.

Hoc argumentum peccat multiplicitèr in ratione verae demonstrationis, nec Atheum convincit. Primò, quia supponit rationem creationis, quam Atheus ignorat: nam per creationem, vel intelligitur productio ex nihilo simplicitèr, & haec repugnat, nàm alàs posset quis, dum cogitat, non esse; si enim de nihilo potest aliquid affirmari, hoc est, quod potest esse causa alicujus rei, poterit de nihilo affirmari cogitatio; adeòque dici, me dum cogito esse nihil; quod quum sit impossibile, impossibile erit mihi cogitare, quod aliquid fiat ex nihilo. Vel intelligitur productio entis ex nihilo à Deo facta, & tunc supponitur Deus, antequàm probetur.

Secundùm argumentum supponit existentiam rerum materialium, quam tamen scire non possum, nisi postquam novi existentiam meam,

& existentiam Dei: qui enim nescit, se existere, simul nescit esse affirmantem, aut negantem, hoc est certò se affimare, vel negare; qui vero Deum non novit, licet multa pro veris habeat, semper tamen potest dubitare, an tali naturâ praeditus sit, ut fallatur in omnibus, etiam quae evidentissima apparent; ideòque non potest habere certam scientiam alicujus rei, priusquam noverit autorem suae originis. Denique responderet Aristoteles, Mundum esse ab aeterno, ideòque nihil esse creatum.

Secunda ratio sumitur ex necessario, & contingente. Si enim sunt contingentia, quae possunt existere, & non existere, dabitur ens necessarium, quod est Deus. Si enim omnia supponantur contingentia, potuerunt omnia non existere: quâ suppositione facta, nullum ens esset pòssibile, nec ipse Mundus: nam ut aliquid sit possibile, quid debet habere caussam, à qua produci possit, quia non ens, non potest esse caussa sui ipsius: sed ex suppositione, nullum ens existit; ergo nullum ens est possibile.

Sed posset quis respondere; contingentiam nihil esse in rebus ipsis, sed esse tantum defectum nostri intellectus, non autem quod ex parte rei possit existere, vel non existere, quod vulgò vocant contingens reale. Hac fortasse ratione, quidquid exìstit, non ex sua vi, sed ex vi causae producentis existit; hoc est ex vi potentiae Dei: qui quum ab aeterno decreverit, quae sint producenda, & nihil magis sit necessarium, ut existat, quam quod Deus exstitu-

tituturum decreverit; sequitur, necessitatem existendi in rebus omnibus creatis, ab aeterno fuisse. Quod si dicas, esse contingentes, quia Deus potuit aliter decernere; respondebit adversarius, quod quum in aeternitate non detur quando, nec ante, nec post, neque ulla affectio temporis; sequitur, Deum nunquam extitisse ante illa Decreta, ut potuerit aliud decernere.

Tertia ratio, quae *manifestior* dicitur à Sancto Thoma I. parte, quaest. II. artic. 3. sumitur ex ratione motus. Quidquid enim movetur, ab alio movetur, & hoc rursus ab alio; igitur ne procedatur in infinitum, necesse est pervenire ad aliquod primum movens, quod à nullo moveatur; & hoc omnes intelligunt Deum.

Sed hoc argumentum à motu desumptum, Philosophorum disputationibus, ac Scholis magis congruit, quàm instituto à nobis operi, ut notat Petavius: Praesertim quum ad illud perpoliendum nonnulla requirantur, quae ex Naturae, philosophiaeque principiis arcessenda sunt; quae reapse demonstrationi, nequaquam nituntur. Praeterea cum Atheis res agitur, qui ponunt materiam aeternam, & infinitam: quod etsi impium sit dicere, tamen dicunt. Igitur ad argumentum reponere possunt: vel per motum intellegitur quaecunque mutatio, etiam quae animae contingit, & cum Molinistis, hoc esse falsum, blaterabunt: quia humana voluntas se ipsam movet ad actus sibi proprios: vel intelligitur motus corporum, & omisso quod ar-

argumentum sumitur à rebus indemonstratis; supponit enim existentiam substantiae corporeae, & modorum ipsius; dicet Atheus, qui ponit materiam aeternam, & infinitam; id quod movetur, ab alio moveri, si loquamur de partibus materiae, ea enim est naturae lex, ut quidquid quiescit semper quiescat, donec ab alio ad motum impellatur; non autem si loquamur de materia; haec enim quum supponitur aeterna, non potuit ab alio moveri, neque agnoscit primum motorem; quum in aeternitate non sit primum, & ultimum, adeoque motus materiae est innatus. Particularia verò corpora, quum moventur, ab alio quidem moventur, sed indè non fit, perveniendum esse ad Primum Movens Immobile; possunt enim unum ab alio moveri in infinitum; nam quum vacuum nusquam fit, nisi in capite Epicureorum, quùmque corpora se tangant; sequitur, in omni motu integrum circulum corporum simul moveri, quod in Physicis est demonstratum.

Et haec quidem sunt argumenta, quotquot videre licuit, selectiora, quibus nituntur Theologi probare existentiam Dei; superest igitur ut ad Metaphysicos recurramus, qui certas, ac firmas suggerere nobis poterunt demonstrationes ad affirmandam Dei existentiam. Verùm, antequam ad haec sermonem convertamus; erit operae pretium difficultatem amovere, quam ex sacris literis, adversus nostrum Consilium intorquent.

Ajunt, Dei existentiam, posse demonstrari ex creaturis; atque hanc propositionem adeò

esse certam, ut è recentioribus, Gaspar Juveninus absolutè pronunciet, sententiam negantem, aliquâ censurâ notandam esse: propterea quod expressè adversatur Sacrae Paginae. Dicitur enim Sapientiae XIII. Vanos esse homines, qui Deum ex ipsius operibus non potuerunt intelligere. Quoniam à magnitudine speciei, & creaturae cognoscibiliter, poterit Creator etiam videri. Et Jobi XVII. haec habentur: *Interroga jumenta, & docebunt te, & volatilia Coeli, & indicabunt tibi, loquere terrae, & respondebit tibi, & narrabunt pisces maris; quis ignorat, quod omnia haec manus Domini fecerit?* & Cap. XXX. ejusdem libri: *Omnes homines vident eum, unusquisque intuetur procul*. Denique Apostolus, Cap. I. ad Romanos ait: *Invisibilia ipsius à Creatura Mundi per ea, quae facta sunt intellecta conspiciuntur*; sempiterna quoque virtus ejus, & Divinitas; ita ut sint inexcusabiles; quia quum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt.

Respondeo, nos non negare per opificium Mundi posse argui Creatorem; sed dicimus, id genus argumenti satis esse ad probandam, non autem ad demonstrandam Dei existentiam: Praeterea stat etiam Scripturae sensus, si monstretur Deus ex creatura, scilicet ex mentis humanae existentia: Hinc pro comperto habemus, iisdem creatarum rerum vestigiis & ipsos Gentiles Philosophos ad Dei notitiam pervenisse, ut ex Apost. in Epist. ad Romanos, demonstrat, Petavius lib. 1. de Deo Cap. 1. §. 9.

PRO-

PROPOSITIO PRIMA.

Deus existit.

Tertii generis, sunt argumenta Metaphysicorum, inter quos eminet Carthesius. Primum autem est hujusmodi. Quod de aliqua re verum est, sivè potest affirmari de ipsa, id continetur in natura, seu conceptu illius rei, quod ex se est evidens; sed in idea, seu conceptu cujusque rei continetur existentia, vel possibilis, vel necessaria, quandoquidem nihil concipere possumus, nisi sub ratione existentis; ergò in natura, sivè conceptu Entis summè perfecti continetur existentia necessaria: nam alias conciperetur imperfectum, contra quod supponitur concipi, est enim existentia radix omnium perfectionum; immò ipsae perfectiones nihil aliud sunt, nisi modi existendi.

Etsi verò haec demonstratio non admodum videbitur efficax iis, qui solent eas tantum res contemplari, quae producuntur à caussis, & ita judicant ea, quae citò existunt, seù quae paucis indigent ad existendum, citò perire, ea verò, ad quorum existentiam plura requiruntur, non ità facilè existere. Tamen animadvertere deberent, nos hic non loqui de rebus, quae à caussis externis fiunt, sed de primo Ente perfectissimo, cujus ideam habemus, quum habeamus ideam perfectionum, ut summae scientiae, summae potentiae, &c. hoc autem

 à nulla

à nulla caussa externa produci potest: nam quae fiunt à caussis externis, sivè pauca, sivè multa ad ea requirantur, quidquid habent realitatis, sivè perfectionis, id omne debetur virtuti caussae externae; ideòque eorum existentia non oritur ex perfectione sua, sed ex perfectione tantum caussae externae. At verò Ens, quod perfectissimum concipitur, quidquid perfectionis habet, nulli caussae externae debet, ideòque ejus existentia, sequitur ex sola ipsius natura; hoc est, ejus existentia nihil aliud est, nisi ejusdem essentia. Perfectio igitur rei non tollit ejus existentiam, sed contrà ponit: imperfectio verò tollit existentiam; itaque de nullius rei existentia certiores esse possumus, quam de existentia Entis summè perfecti, hoc est Dei; nam si ejus essentia excludit omnem imperfectionem, & absolutam perfectionem involvit, eo ipso tollit omnem caussam dubitandi de ipsius existentia, & summam ejus certitudinem exhibet, quod meditanti fiet perspicuum. Vide eundem Carthesium meditatione V., & in fine responsionis ad primas objectiones.

Secundum argumentum. Habemus ideam Dei: nam per Deum nihil aliud intelligimus, nisi substantiam summè perfectam, in qua nihil planè concipimus, quod defectum aliquem, vel limitationem perfectionis involvat. Ideae autem nomine, non intelligitur imago in phantasia corporea depicta, hoc est in aliqua parte cerebri efficta, sed intelligitur forma illa cogitationis, per cujus immediatam perceptionem sum

sum conscius ejusdem cogitationis; itaut nihil possim exprimere intelligendo id, quod dico, quin ex hoc ipso certum sit, in me esse ideam ejus, quod verbis illis significatur. His positis, quum ego expertus cognoverim, me multis imperfectionibus premi, conscius enim mihi sum, me desiderare, dubitare, timere, dolere, quibus equidem carerem, si undique perfectus essem; constat igitur in me esse ideas perfectionum: nam idea privationis dependet ab idea positivi, quùm non possit in aliquo esse idea tenebrarum, nisi ex idea lucis; ideòque si rem propiùs inspiciamus, prior est in nobis idea Entis perfectissimi, quam idea propriae existentiae.

Nunc ita procedit demonstratio. Habemus ideam Dei: Sed realitas objectiva cujusque ex nostris ideis, hoc est ipsa entitas rei repraesentatae per ideam, quatenus est in idea, requirit caussam, in qua eadem ipsa realitas contineatur, non tantum objectivè, ut est in idea, sed, vel formalitèr, quando scilicet objectum ideae tale est, quale illud percipimus, vel eminentèr quando scilicet objectum non quidem est tale, sed tantum, ut possit illius vicem supplere. Quod ut clarius percipiatur, exemplo utendum est. Unde scimus v. gr. Coelum existere; an quia illud videmus? At visio non tangit mentem, nisi quatenus est in idea, hoc est non tamquam imago in phantasia depicta, sed quatenus inhaeret menti, & informat mentem ipsam, conversam in illam cerebri partem. Sed neque ob hanc ideam possu-

mus judicare Coelum existere, nisi quia omnis idea debet habere caussam suae realitatis objectivae realitèr existentem, quam caussam judicamus esse ipsum Coelum.

At verò realitas objectiva ideae Dei, nec formalitèr, nec eminenter continetur in Nobis: neque enim Nos tales sumus, vel perfectius, hoc est eminentèr, vel aequè perfectè, seù formaliter continemus realitatem Entis perfectissimi, seù omnium perfectionum, quae in idea Dei objectivè continentur, quae eadem ratio facit, ne possit contineri in aliquo alio, praeterquam in ipso Deo: si enim supponatur, nihil vel minus esse in caussa, quam in effectu, jam nihil in caussa, erit caussa effectus: nulla autem res, nec ulla rei perfectio actu existens, potest habere nihil, sivè rem non existentem pro caussae suae existentiae, quod est evidens; igitur haec idea Dei, quae in nobis est, quum non possit habere nihil pro caussa, non nos metipsos, non aliquid aliud, quod sit ipso Deo minus perfectum; sequitur debere habere Deum ipsum pro caussa; itaque Deus existit.

Tertia verò Carthesii demonstratio, quoniam difficultates aliquot pati posse videbatur; ideò ad removendum omne offendiculum, consentaneum visum est, primum duas alias propositiones demonstrare, ex quibus vis illius demonstrationis pendet. Prima autem haec est. Quanto res est perfectior ex natura sua, tantò magis existentiam involvit necessariam; & è contrario, quo magis necessariam involvit exi-

existentiam, eò est perfectior.

Probatur. Quia in idea, seù conceptu cujuscumque rei continetur existentia, ut supra dictum est; si igitur ponamus A esse rem, quae habet decem gradus perfectionis, ejus conceptus involvit plus existentiae, quam si supponamus habere quinque gradus perfectionis: nàm quum de nihilo nullam possimus affirmare existentiam, quò magis cogitatione detrahimus ejus perfectioni, tantùm negamus de possibilitate ejus existentiae: tantò magis enim de nihilo participare concipimus; igitur si concipimus gradus perfectionis ipsius diminui usq; ad ciphram, sivè zerum, nullam continebit existentiam, hoc est impossibilem existentiam: Si verò concipimus perfectionis gradus augeri in infinitum, continebit summam existentiam, hoc est maximè necessariam; Quum autem haec duo separari non possint; sequitur rem, quo magis natura sua involvit necessariam existentiam, eò esse perfectiorem, quod erat primum.

Secunda propositio est. Qui habet potentiam se conservandi, ejus natura involvit existentiam necessariam. Probatur: Qui habet vim se conservandi, habet vim se creandi; ex eo enim, quo ego nunc cogito, non sequitur necessariò me esse cogitaturum postea; Conceptus enim, quem habeo meae cogitationis, non continet necessariam existentiam cogitationis; nam possum clarè, & distinctè concipere cogitionem, quamvis supponam, eam non existere. Quum autem omnis caussa debeat continere perfectionem effectus; sequitur dari aliquid, vel in nobis, vel extrà nos,

quod nondum intelleximus, cujus natura involvit existentiam, & sit caussa, cur nostra cogitatio incoepit, & pergat existere: nam quamvis nostra cogitatio incoepit existere, non ideo ejus natura, seù essentia necessariam existentiam magis involvit, quàm antequàm existeret; igitur indiget eâdem vi, ut perseveret in existendo, quà indiget, ut incipiat existere.

Nunc sic: Qui habet vim se conservandi, habet vim se creandi, hoc est, non indiget ulla caussâ externà ad existendum, sed sola ipsius natura erit caussa sufficiens, ut existat, vel possibilitèr, vel necessario; at non possibilitèr: nam ut proximè demonstratum est, tunc ex eo, quod jam existeret, non sequeretur ipsum postea extiturum, quod est contra hypothesim; ergò ejus natura erit caussa sufficiens, ut existat, non possibilitèr, sed necessario, hoc est, ejus natura necessariam involvit existentiam, quo demonstrata est secunda propositio.

Venio nunc ad demonstrationem principalem, qua probatur existentia Dei ex eo, quod nos ipsi habentes ejus ideam, existimus. Si haberem vim conservandi me ipsum, talis essem naturae, ut necessariam involverem existentiam, ex probatis: sed ex probatis etiam, id quod involvit absolutè necessariam existentiam, est quid absolutè perfectissimum; ergo mea natura continere debet omnes perfectiones: sed ego quatenus sum res cogitans, sum certus habere multas imperfectiones, ut quod dubito,

timeo,

timeo, desidero, &c.; ergo non habeo vim conservandi me ipsum; neque dici potest, quod ego careo illis perfectionibus, quia eas mihi spontè denego: nam hoc est omni luce clarius, quod si res cogitans novit aliquas perfectiones, quibus ipsa careat, si possit, statim eas sibi dabit.

Procedit modò demonstratio. Ego existo, neque quandiù existo, possum existere, quin conserver; sed non habeo vim conservandi me ipsum; ergò conservor ab alio; sed non ab alio, qui non habet vim se conservandi propter eandem rationem, qua ego me ipsum conservare non possum; ergò conservor ab alio, qui habet vim se conservandi; ergo cujus natura involvit existentiam necessariam; ergò quae continet omnes perfectiones, quas intelligo pertinere ad Ens infinitè perfectum, qui est Deus; igitur Deus existit.

PROPOSITIO SECUNDA.

Deus unus est.

PRobatur: omnis perfectio, quae in Deo est, est ab ipso Deo, alioqui si esset ab alio, jam non conciperetur Deus esse summè perfectus, quod ejus definitioni repugnat; ergò Deus est unus. Quod si negas, finge per hypotesim plures esse Deos, v. gr. A. & B., jam uterque erit summè intelligens, quandoquidem est infinitè perfectus; ergò A intelliget omnia; hoc est se ipsum, & B., & pariter B. intelliget

se

se ipsum, & A.: sed A. & B. necessariò existunt: nam Dei existentia ex demonstratis est ipsa ejus essentia; ergò caussa veritatis, & necessitatis ideae, quam habet A. ipsius B., erit ipse B.; & è contrario causa veritatis, & necessitatis ideae, quam habet B. ipsius A., erit ipse A; ergò dabitur aliqua perfectio in A., quae non est ab A., & aliqua perfectio in B., quae non est à B.; ergò A., & B. non sunt summè perfecti, adeòque nec Dii: nam perfectio intellectus unuscujusque partim a se, partim ab alio dependeret.

PROPOSITIO TERTIA.

Tres sunt Divinae Personae.

HActenus cum Metaphysicis ratiocinati sumus ad demonstrandam Dei existentiam & unitatem; Nunc ad Christianae Religionis Mysteria abstrusiora gradum facimus, ubi omnis humana ratio caligat, & ad solum Verbum Dei, quà scriptum qua traditum recurrendum est: undè Hilarius inquit lib. VIII. de Trinitate n. 52 *Hoc Ecclesia intelligit, hoc Synagoga non credit, hoc Philosophia non sapit*. Solet autem haec disputatio, ità vulgò à Theologis institui, ut partim laborent adversus Judaeos, ut evincant, posse Triadem probari ex Veteri Testamento: quorum ego laborem, etsi commendatione dignum censeam, quum plura adducantur, quae ad propositam rem faciunt, ut inter alia illud Geneseos XVIII., ubi de Abrahamo dicitur: *Tres*

vidit

vidit, *& unum adoravit*, ſub qua ſpecie, inquit Auguſtinus lib. II. de Trinit. Cap. 11. fuit Trinitas tunc adumbrata: tamen quia noluit Deus myſterium Judaeis aperire, ne Gens maximè in idolatriam prona, ſtatim Aegyptiorum more plures Deos adorare coepiſſet: dici etiam poſſet, nihil adverſus ineffabile hoc Myſterium facere, ſi in Veteri Teſtamento parcius, obſcuriuſque, perſonarum fuerit commendata Trinitas.

Partim verò adverſus haereticos agunt, tùm veteres, tùm recentiores. Ex veteribus Trinitatem opugnarunt, Arius, Sabellius, Eunomius, Paulus Samoſatenus, Macedonius, aliique. Proximioribus autem noſtro ſaeculis, Antitrinitariorum emerſit Princeps, Michaël Servetus Hiſpanus, editis quibuſdam libris, quos inſcripſit de *Erroribus Trinitatis*: ubi Trinitatem, imaginariam eſſe, contendit, & cum unius Dei profeſſione pugnare; ac propterea Trinitarios eſſe Atheos. Hic autem Genevae comprehenſus, autore Calvino, vivus combuſtus eſt anno 1555. Hunc ſectati ſunt Valentinus Gentilis Conſentinus, Fauſtus Socinus Senenſis, à quo Secta haec Socinianorum nomen traxit; dicuntur etiam Unitarii, & Fratres Poloni, quippe in Polonia, & Tranſylvania haec peſtis mirè graſſatur.

Ceterum, ſi ex novo Teſtamento omnia depromere vellemus argumenta; nihil aliud eſſet, inquit Petavius, niſi integrum illud tranſcribere; adeò nulla eſt pagina, ex qua non aliquod argumentum deſumi poſſit. Erit igitur noſter

labor

labor selectiores quosdam locos expendere. Primum est initio Evangelii Johannis: *In principio erat Verbum; & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. Hoc erat in principio apud Deum, &c.; & Verbum caro factum est, &c.* Hunc locum urget Tertullianus adversus Praxeam, & Athanasius in Oratione contra Sabellii gregales: Ibi enim, Verbum, apertè distinguitur à Deo, quum dicatur fuisse apud Deum: si autem Verbum illud *Dei*, fuisset in corde Patris, nec esset hypostasi ab eo diversum, non diceretur Deus apud Deum, quemadmodum Verbum, seu sermo hominis, non dicitur esse homo apud hominem, quum neque vivat, neque subsistat, sed sit viventis, ac subsistentis animi motus. Si igitur Verbum est apud Patrem, est à Patre distinctum, at non natura, quum dicatur esse Deus; ergò Persona.

Secundus est evidens locus Johannis XIV. ubi ait Christus: *Philippe, qui videt me, videt & Patrem: Non creditis, quia Ego in Patre, & Pater in Me est? Ego rogabo Patrem, & alium Paraclitum dabit vobis.* Hic observandum, quod ne fortè quis putasset, Filium esse Patrem, & Patrem esse Filium, ac tantum nomina diversa, una verò Persona; ob eam rem dicit Dominus: *Ego in Patre, & Pater in me est*; hoc enim absurdè, & insulsè de una, & singulari Persona diceretur. Praetereà, ut aequalitatem cum Patre ostenderet, ait: *Qui videt me videt & Patrem.* Si enim aliquid est in prototypo, quod non est in imagine, falsò quis diceret; qui videt prototypum, videt imaginem,

& hoc quidem in creatis. In Deo autem, cujus natura simplicissima est, non liceret ita pronunciare, qui videt unam personam, videt & alteram, nisi essent adeo similes, ut in nihilo prorsus natura differrent, vel aliqua esset perfectio in una, quae in altera desideraretur. Ita Chrysostomus Homilia 74. in Johannem: *Qui creaturam videt, non ideò videt Dei substantiam; itaque si diversae essent substantiae, nunquam illud diceret: Nemo quid sit aurum nesciens, potest in argento, auri videre substantiam, non enim alia per aliam natura videtur.*

Tertio probatur ex Cap. III. Matthaei, ubi expressa reperitur Personarum distinctio in Baptismo Christi in Jordane. Primo enim Pater de Coelis loquitur. *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui*. Habetur igitur distinctio Filii à Patre. Secundo de Spiritu Sancto dicitur: *Vidit Spiritum Dei descendentem sicut Columbam, & venientem super se*. Itaque Spiritus Sanctus, qui descendit neque Pater erat, qui locutus est, neque Filius qui baptizabatur; diversa igitur ab utroque Persona.

Respondent Sociniani: Filium, de quo Matthaeus loquitur, non esse Filium naturalem, seù consubstantialem Patri; sed esse personam Christi, quae licet sit mera Creatura, tamen ratione unionis, quam habet cum Deo per caritatem, dicitur Deus. Per Spiritum Sanctum verò, non intelligitur persona aliqua à Patre distincta, sed ipsa Divinitatis Virtus, qua Christus abundè in Baptismo cumulatus fuit. Eadem igi-

igitur ſentiunt hodie Sociniani, quae olim Praxeas, & Pauliani; negabant enim Trinitatem, & Chriſtum purum hominem eſſe, docebant; unde appellati ſunt ſecundi Judaei, autore Epiphanio haereſi 65.: ajebant enim, unum eſſe Deum, & in ipſo eſſe Verbum, & Spiritum Sanctum, ut in corde hominis verbum eſt: unde in Concilio Nicaeno ſtatutum legimus, ut rebaptizarentur, qui à Paulianis baptizati fuerant.

Sed impugnatur praecedens reſponſio; tùm quia Chriſtus verus eſt Deus, ut inferius probabitur contra Neſtorium; tùm etiam quia Chriſtus, loco citato, non dicitur Filius ſimplicitèr, ſed per emphaſim quandam, qua diſtinguitur ab iis, qui per adoptionem tantum dicuntur Filii Dei; *Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi complacui*. De Spiritu Sancto vero, quis neget, in Evangelio non ſignificare virtutem Dei, ſed Perſonam Divinam à Patre, & Verbo diſtinctam? en quid ait Lucas Cap. III. *Et deſcendit Spiritus Sanctus corporali ſpecie ſicut Columba in ipſum*. Deſcenſus autem eſt actio perſonalis; nec in ſacris literis dicitur uſquam Dei virtus, aut Dei proprietas deſcendere.

Quarto id probatur ex forma, qua Baptiſmus adminiſtratur ex inſtitutione Chriſti: Matthaei XXVIII. *Docete omnes Gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*. Vel enim dices, Filium, & Spiritum Sanctum eſſe Creaturas; & hoc abſurdum eſt, quum nulla res creata, Deoque inferior, adſciſci debuerit in conſortium Dei. S. Ambroſius

sius lib. I. de Fide, Cap. 1. Inaequalium societas melioris offensa est, & injuria ejus, qui verè Deus est, si ei non verus alius comparetur. Hinc impium esset aliquem baptizare in nomine Dei, & cujuscunque etiam praestantissimae creaturae; quamobrem Paulus ita Corinthios increpat Epist. I. Cap. 1. versu 13. *Nunquid Paulus crucifixus est pro vobis, aut in nomine Pauli baptizati estis?* Ratio autem est, quia, nomen, est autoritas. Virgilius II. Aeneidos

. . . . . . Et magnum Reginae nomen obumbrat.

Autor autem dicitur ab Jurisconsultis, à quo jus in nos transit. L. IV. D. de Evictionibus. Et Johannis V. *Ego veni in nomine Patris mei*, &c. Dividere autem autoritatem in Baptismo inter Deum, & Creaturas, plusquam impium est.

Vel dices: in solius Dei nomine baptizari, sed illa tria, esse tantum nomina diversa, rem verò eandem; & tunc magna, & intolerabilis esset futilitas, eandem rem per plura nomina designare; immò quum nomina sint accipienda in significatione propria, si est Pater, & est Filius, jam Pater non est Filius: nam si Deus esset una Persona; qua tandem ratione dici posset, quod eadem Persona sit Pater, & sit Filius; quod enim generat, & quod generatur, quod mittit, & quod mittitur, quod spirat, & quod spiratur distinguitur realitèr? Igitur Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus, sunt Personae distinctae. Ita Tertullianus Cap. XI. adversus Praxeam: *Si Filium, inquit, nominat, Filius autem non*

aliis

alius erit, quam qui ex ipso prodiit: sermo autem prodiit ex ipso, hic erit Filius: non ipse, de quo prodiit, non enim ipse prodiit ex semetipso.

Tandem, ut cetera mittam, si excutiantur quotquot sunt loci Theologici, ex singulis, argumentum erui potest ad hanc veritatem demonstrandam; nam praeter scripturas, quibus nihil apertius, Traditio est in hoc, prae aliis Articulo certissima, sivè loquamur de Conciliis Oecumenicis; Primum Generale Nicaenum damnavit Arium; & quotcumque deinde secuta sunt, omnia Antitrinitarios diris devoverunt: Sancti Patres, Pontifices, qui extiterunt, postquam erupit Acherontis ille abortus, Arius, omnes in eum, ejusque Sectarios stylum exacuerunt, ita ut nullus omnino Christianus usque ad Servetum, & Socinum, pestiferum hoc dogma jamdiù consopitum, excitare ausus sit. Si igitur Traditione didicimus, quid sit Ecclesia Christi, & Traditione Christiani sumus: ex Traditione quoque hoc debemus tueri, Divinas Personas esse tres, & pessimos istos Unitarios execrari, & ad corvos mittere.

Contra Personarum Triadem, opponunt Sociniani, primo: Ubi est pluralitas, sivè Naturarum, sivè Personarum, ibi unitas esse non potest: Sed Scriptura docet, Deum esse unum, & solum; ergò Personae istae sunt commentitiae. Ita enim Johannes Cap. XVII. Evangelii: *Haec est vita aeterna, ut cognoscant te solum Deum verum, & quem misisti Jesum Christum*. Primae Corinthiorum VIII. ait Apostolus: *Nobis unus Deus Pater, ex quo omnia, & nos in illum, &*

unus

unus Dominus Jesus Christus, per quem omnia, & nos per ipsum. Idem III.ad Ephesios: *Unus Deus, & Pater omnium, qui super omnes, & per omnia, & in omnibus nobis*.

Respondeo, textus Scripturae, qui docent, Deum esse unum, non pugnare cum Trinitate Personarum: ibi enim Scriptura confutare vult Deos Gentilium, & stabilire unam Dei essentiam, & naturam: quum autem Personae unam habeant naturam Divinam; sequitur unum, ac solum Deum esse. Verba autem citata ex Evangelio Johannis, ita sunt disponenda, autore S. Augustino Tractatu CXV. in eundem; *Haec est vita aeterna, ut te, & quem misisti Jesum Christum, cognoscant solum Deum verum*. Confirmatur hoc ex S. Athanasio Oratione IV. in Arianos, ubi ait: *Quum Pater solus Deus, & verus appellatur, non ad exautorationem ejus appellatur, qui dicit, Ego sum veritas; sed ad demolitionem eorum, qui ex natura tales non sunt. Sic quum dicit Paulus, Patrem esse unum Deum, eodem modo id dicit, quo ait, Christum esse unum Dominum; quemadmodum igitur Christus ita est Dominus, ut tamen non excludat à dominatu Patrem, ita Pater sic Deus est, ut non excludat à Divinitate Filium*.

Secundo opponitur. Deus est Ens à se, & per hoc à creaturis differt, quae sunt ab alio: sed pluralitas Personarum in Deo, supponit unam ab alia procedere, & ab ea accipere suum esse, quod idem est, ac esse ab alio; quum igitur hoc repugnet Divinitati, repugnat quoque Personarum distinctio.

Respondeo; ex Divinis Personis, unam non esse ab alia tanquam à caussa, sed tanquam à principio; Ens, quod dat esse alteri per modum caussae, non dat illi proprium suum esse, sed tantùm simile, ut homo generat hominem: At verò Ens, quod dat esse alteri per modum principii, communicat ipsi proprium suum esse; atque ideo, si esse principii est independens, etiam esse illius, qui oritur à principio, erit independens; unde constat, Filium in Divinis non esse minus perfectum, quam principium ex quo generatur, sivè Pater; in utroque enim est unum, atque idem esse.

Tertio opponitur. Si ex illis verbis Johannis I.: *In principio erat Verbum*, colligi posset aeternitas, adeoque Divinitas Filii: etiam ex Capite 1. Genesis: *In principio creavit Deus Coelum, & Terram*, inferri posset aeternitas Coeli, & Terrae: Atqui haec non demonstratur ex Genesi, ergò nec illa ex Johanne.

Respondeo, quod idcircò Coeli, Terraeque aeternitas ex illo Genesis non infertur, quia Moyses non dicit, in principio fuisse, sed in principio creata fuisse, quod autem creatum est, aeternum esse nequit: Johannes contrà, non dicit Verbum in principio factum, vel creatum, sed simpliciter fuisse: imò omnia quae facta sunt, per ipsum facta fuisse, quod manifestè indicat aeternitatem Verbi, & Mundi in tempore creationem. Quod sic probo argumento S. Augustini, Tractatu 1. in Johannem. Creare solius est Dei: à nihilo enim ad Ens, est distantia infinita, seù qua major excogitari non potest,

test, adeòque ad id requiritur virtus infinita: sed omnia sunt creata per Verbum, ergò Verbum est Deus. Praeterea id, per quod omnia creata sunt, creatum esse non potest: si enim omnia sunt facta per Verbum, & Verbum ipsum est factum, jam Verbum factum erit per aliud Verbum, seù per Verbum Verbi, atque rursus; vel hoc factum est per aliud Verbum, & sic in infinitum nugatoriè ibitur: vel non; *& illud ipsum*, inquit Augustinus, *dico ego unicum Filium Dei; si verò Verbum illud, per quod omnia facta sunt, non est creatum, erit ipse Deus.*

Quartò opponitur: Haec vox *Deus* potest de Filio praedicari; sed ita, ut non sit summus ille Deus, qui unus est, sed sensu aliquo tropologico, ut quum dicitur Exodi VII. quod Moyses vocatus est *Deus Pharaonis.*

Respondeo, hoc Arianorum effugium praeclusum fuisse ab Hilario; quia Scriptura non dicit, Moysem absolutè Deum, sed Deum Pharaonis, hoc est à Deo, Pharaoni datus, dum timetur, dum oratur, dum punit, dum medetur, unde ait Dominus: *Ecce constitui te Deum Pharaonis. Aliud est*, inquit Hilarius, *Deum dari, aliud Deum esse: eò ipso quod dicitur constitutus Deus, non naturalis, sed fictitius Deus significatur. Erat igitur Deus Pharaonis, hoc est in opinione Pharaonis.* Adde quod ibi non legitur nomen *Adonai*, quod apud Hebraeos erat proprium Dei nomen, sed *Elohim*, quod Rabbi Abraham Chaldaeus, interpretatur *Nuntium*, & *Legatum* ad Pharaonem. Sic Psalmo VIII. vers. 6. *Minuisti eum paulo minus ab*

Elohim. Septuaginta, & Pagninus vertunt, ab *Angelis*, Hieronymus, & Pratejus, à *Deo*.

Aliud quoque ex grammatica subsidium, petunt Sociniani, quod & olim ostendebant Ariani, quos refutat Chrysostomus Homilia III. in Johannem: ajunt in praefato Cap. 1. Johannis, in Graeco exemplari Verbum dicitur Deus, *Theos*, sed sine articulo: quum tamen semper ac in Scripturis est sermo de Deo, additur ejus nomini articulus praepositivus, qui vim quamdam habet, & efficaciam specialem; itaque quum dicitur, *Otheos*, non est simplicitèr, ac si dicas, *Deus*, sed summus ille, ac magnus Deus: ut quum dicitur Poëta sinè articulo apud Graecos, quemvis Poëtam significat; at verò cùm articulo, indicat Homerum, qui in Poësi primas tenet. Verbum igitur, loco citato, non intelligitur de Deo summo, sed quodam minori Deo, seù de eo, qui propter singularem inter creaturas excellentiam, Deus appellatur.

Atque ità boni isti Sociniani, nos ad ineptias Gentilium redigere moliuntur, qui habebant Deos Superos, Medioximos, Semones, & Minutos, quos Plautus vocat Patellarios. Ad rem Chrysostomus respondet, quod etiam Pater nonnunquam sine articulo praepositivo appellatur in Sacris Libris, ut legere est in eodem Cap. 1. vers. 6. *Fuit homo missus à Deo*, ubi deest articulus. Et è contrario Filius saepè vocatur Deus praeposito articulo, ut ad Romanos IX. 5. ibi: *Ex quibus est Christus secundùm carnem, qui est super omnia Deus benedictus in saecula*. Ratio autem cur Johannes in illis verbis:

Et

Et Deus erat Verbum, non adjecit articulum voci Deus (oportet enim cum Grammaticis Grammaticum agere) est, quia in Graeca lingua, maximè verò Prosarum Scriptores, articulum addunt subjecto propositionis, non autem attributo, sivè praedicato, ut docet prae ceteris Constantinus Rhodocanacides in Tractatu de articulis Regula III. Quum igitur, in ea propositione, Verbum sit subjectum, Deus sit praedicatum, juxtà expositionem Hilarii lib. I. de Trinitate Cap. 7.; propterèa abstinuit Johannes ab articulo in voce, *Deus*.

Sed belli sanè, ac miri Grammatistae fuerunt veteres Ariani, quorum gregem aequè strigosi sequuntur Sociniani. Cavillantur enim & illud; *Omnia per ipsum facta sunt*; quia particula *per*, non significat caussam principalem, sed tantùm instrumentalem denotat: aliud quippè est, aliquid ab aliquo creari, quod indicat caussam principalem, aliud per aliquem creari, quo instrumentum designatur. Quum igitur dicat Scriptura, omnia per Verbum facta fuisse; sensus est, Verbum fuisse veluti instrumentum creationis universi, quo Deus uti voluit, adeòque ex eo non rectè inferri, Verbum esse Deum. Ita Ariani apud S. Athanasium lib. de Communi Essentia Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, & apud Basilium lib. de Spiritu Sancto Cap. II.

Hoc autem vix responsione dignum est. In Scripturis enim praepositio, *per*, non minus quam praeposito, *ab*, conjungitur cum caussa principali, quod exemplis est manifestum. Ge-

nesis IV. *Possedi hominem per Deum*. Proverbiorum VIII. *Per me Reges regnant*. Primae Corinth. I. *Paulus vocatus Apostolus Jesu Christi per voluntatem Dei*. Praeterea idem Apostolus, erit idoneus autor nostrae interpretationis; quod scilicèt illa verba, *per ipsum*, significent caussam principalem, non autem instrumentum: nam Cap. I. ad Hebraeos, verba illa psalmi CI.: *Initio tu Domine terram fundasti, & opera manuum tuarum sunt Coeli*, quae procul dubio David de Deo praedicat, ipse tribuit Filio Jesù Christo. Quum igitur nostra interpretatio, sit ab ipso Divino Spiritu profecta, & ab omnibus Patribus admissa; sequitur, nimis impudentes, & temerarios esse Arianos, qui aliam substruere audent. Nihil dicam de quaestione illa, an creatura posset à Deo assumi ad creandum, saltem instrumentalitèr, nè (quod prohibeat Deus) in Scholasticorum fines irrumpamus.

CAPUT SECUNDUM

De Divinis Relationibus.

NOmine Relationum Divinarum, intelligunt Theologi habitudines reales unius Personae ad aliam. Quum enim in Deo sint reales processiones, sivè origines unius personae ab alia, hoc est Filii à Patre, Spiritus Sancti à Patre, & Filio; sequitur necessariò dari habitudines principii ad principiatum; adeòque reales Relationes, quibus una persona ab alia distinguitur; quum enim Natura Divina sit eadem

in

in omnibus; sequitur distinctionem unius, ab alia non posse ex ipsa natura, & essentia desumi; petenda igitur est ex Relationibus.

Quomodo autem hae Relationes distinguantur ab ipsa natura, an scilicet *modali* distinctione, ut censuit Durandus, an *formali* ex natura rei, quam obtendunt Scotistae, an *rationis ratiocinatae*, quam Thomistae propugnant, an solâ distinctione *rationis ratiocinantis*, qua contenti sunt Nominales, ad nos vestigare non pertinet, quum non pertineat ad Fidem; itaque unusquisque in suo sensu abundet. Quod ad Fidem pertinere creditur, illud est, Relationes ab Essentia, non distingui *realiter*, licèt realiter distinguantur inter se, ut definivit Concilium Rhemense contra Gilbertum Porretanum Pictaviensem Episcopum ubi dicitur: *Credimus nullas omnino res, sivè relationes, sivè proprietates, sivè singularitates, sivè unitates dicantur adesse Deo, quae sint ab aeterno, & non sint Deus.*

PROPOSITIO UNICA.

Relationes Divinae, ab ipsa Natura Divina, non distinguuntur realitèr.

Probatur. Si Relationes Divinae ab Essentia realiter distinguerentur, daretur in Divinis, non tantum Trinitas rerum, sed etiam Quaternitas, hoc est tres Personae, seù Rela-

 tiones,

tiones, & Essentia Divina; sed in Divinis non datur Quaternitas rerum, ut definitum est in Concilio Lateranensi IV. ab Innocentio III. in Cap. 2. de Summa Trinitate, illis verbis: *in Deo solummodò Trinitas est, non quaternitas, quia quaelibet trium Personarum, est illa res, videlicet substantia, Essentia, seu Natura Divina, quae sola est universorum principium, praeter quod aliud inveniri non potest*. Igitur Essentia à Relationibus non distinguitur.

Quod si dicas; in citato textu Concilii, agi tantum de Quaternitate Personarum, non autem de Quaternitate rerum; falsò dixeris: quandoquidem in Concilio agitur de illa Quaternitate, de qua loquebatur liber Abbatis Joakimi, editus contrà Petrum Lombardum, Magistrum Sententiarum, qui liber fuit in eo Concilio damnatus: sed in illo agebatur de Quaternitate rerum, non de Quaternitate personarum; itaque de eadem agitur in Concilio. Hoc tamen, ut intelligatur, sciendum est, quod vulgò fertur, Magistrum Sententiarum in primo distinct. V. haec scripsisse: *Quaedam summa res est, Pater & Filius, & Spiritus Sanctus, & illa non est generans, neque genita, neque procedens*; quae tamen verba in Magistro non reperiuntur, teste Petavio lib. VI. de Trinitate Cap. 12. num. 4. Ex illa tamen Doctrina, Joakimus Abbas collegit, quod censuit reprehensione dignum, quod scilicet ex illa propositione, daretur Quaternitas: eò argumento, quia praeter Patrem, qui genuit, & Filium, qui generatur, & Spiritum Sanctum, qui procedit, summa illa res veniebat in numerum,

merum, quae neque generat, neque generatur, neque procedit, quia Essentia non generat Essentiam. Ipse verò separabat tres Personas, non solum Relationibus, & proprietatibus, sed etiam Naturis, & Essentiis, quas numero distinctas in tribus ità constituebat, ut una esset Essentia, & Natura, non vera, & propria unitate, sed quasi collectiva; quemadmodum multi homines dicuntur unus populus, & multi fideles una anima. Constat igitur ex disputatione Joakimi adversus Magistrum, non contendere illum, ex propositione Magistri sequi Quaternitatem Personarum, sed tantum Quaternitatem rerum, quae constaret ex Personis, & summa illa re, quam Magister dicebat, neque generantem esse, neque genitam, neque procedentem. Quum itaque Innocentius in Concilio, damnaverit Joakimum; sequitur in ipso agi de Quaternitate rerum, non de Quaternitate Personarum.

Secundo probatur. Relationes, quas Gilbertus voluit esse ab Essentia Dei distinctas, non sunt quidem fictum sed reale; ergò istud Ens, quod in systemate Gilberti, esset realiter distinctum ab Essentia Divina, vel esset increatum, vel creatum. Si primum, esset Deus: quod enim est increatum, est essentialiter Deus, & è converso; esset igitur indistinctum à Deo. Si secundum; ergò quaelibet Divina Persona, esset aliquid realitèr compositum ex Divina Natura, & aliquo Ente creato, seù relatione, quod repugnat simplicitati Dei: compositio enim, quae est distincto-

rum

rum unio, imperfectionem involvit. Meritò igitur, quum haec, & similia opinionum portenta, Gilbertus in magno quodam Clericorum conventu effudisset, delatus fuit ad Eugenium III., à quo damnatus est ejus libellus; primum in Concilio Parisiensi, deindè in Concilio Rhemensi: ubi egregiè contrà ipsum, disputavit Sanctus Bernardus.

Oppones. Magis opponuntur relativum, & absolutum, quàm relativum, & relativum; debent igitur magis distingui; atqui relativum, & relativum in Divinis distinguuntur realitèr, ut Paternitas, & Filiatio; nam si Personae inter se distinguuntur realitèr, & non per essentiam, sed per relationes distinguuntur; oportet, ut relationes ipsae, non minus realitèr inter se distinguantur ex vi regulae, *propter quod unumquodque tale, & illud magis*; si igitur relativa inter se sunt realitèr distincta, à fortiori sunt distincta ab Essentia, quae est quid absolutum.

Respondeo, propositionem esse falsam; quia licèt absolutum, & relativum sint in diverso ordine, tamen non sunt sibi invicem opposita; ex contrario verò relativum, & relativum in Divinis, ita sibi opponuntur, ut unum excludat alterum; qui enim dicit Patrem, dicit Filium ab eo distinctum; qui dicit principium, dicit terminum à principio distinctum: at qui dicit Patrem, aut Filium, non dicit aliquid excludens naturam Divinam, quum nullam cum ea oppositionem habeat; Hinc Axioma illud ex Patribus, apud Theologos obtinuit: *In Divinis omnia sunt unum, ubi non intercedit oppositio relativa*.

Secun-

Secundo opponit Gilbertus, Theodoreti autoritatem, dicentis. *Qui naturam, & personam idem esse intelligit, in divisionem Arii incidet, aut in confusionem Sabellii*. Opponit quoque S. Hilarii locum, dicentis: *Non est idem Natura, quod res Naturae*. Igitur Sanctis Patribus Natura, & Persona non sunt idem: sed Relatio nihil aliud est, nisi forma, quae constituit Personam; ergo Relatio, & Essentia distinguuntur realitèr.

Respondeo, sensum dictorum Patrum esse, non debere nos intelligere Naturam, & Personam, idem esse; non autem, quod realitèr Natura, & Persona non sint idem, idem enim sunt, sed conceptus diversi; nam conceptus Naturae, prout est conceptus naturae, non est idem cum conceptu Personae, prout est conceptus Personae; etenim quum Natura Divina sit infinita, praebet menti nostrae fundamentum eam intelligendi, modò sub conceptu personae: quandoquidem propter sui infinitudinem duplici officio fungitur, & Naturae, & Personae, sed considerata sub diverso respectu.

Tertio opponitur. De una, eademque re, non possunt verè dici duo attributa contradicentia; oportet igitur, ut si vera dicuntur, illa *realitèr* sint distincta: atqui de Natura Divina, & Relationibus, praedicantur verè attributa contradicentia; ergo non sunt unum realiter. Assumptio probatur, quia Natura Divina per generationem aeternam, communicatur Filio; Paternitas verò, non communicatur. In Incarnatione, Persona Verbi assumpsit naturam humanam non

non autem Natura Verbi assumpsit naturam humanam : sed communicari, & non communicari ; assumere, & non assumere, sunt contradictoria ; ergò de Essentia, & Relationibus, contradictoria verificantur.

Respondeo : quod tunc de eadem re, non possunt praedicari duo contradictoria, quando non est virtualitèr multiplex : verùm Essentia Dei, licèt actu sit simplicissima, tamen propter sui eminentiam, est virtualitèr multiplex, hoc est aequivalet rebus distinctis ; itaque rectè dicimus, Naturam Divinam communicari, & non communicari ; hoc est, communicari secundum conceptum relativum : eandemque secundum conceptum relativum, hoc est, prout Verbum assumpsisse Naturam humanam ; secundùm conceptum absolutum, non assumpsisse naturam humanam : Atque haec est ratio, cur Theologi in varias sententias abierint, & alius modalem, alius formalem, alius virtualem distinctionem invexerit ; ad removendam, scilicèt contradictionem ; quarum (modò abstineas à reali), quamvis elige, nihil enim ad nos attinet.

CAPUT TERTIUM

De Divinitate Christi.

PRimus, quì Christi Divinitatem impugnare ausus est, videtur fuisse Cerinthus ; licèt S. Irenaeus priorem eo, recenseat Carpocratem. Sed oportet, Cerinthum antiquiorem fuisse : nam Carpocrates collocatur à Theodoreto sub Hadria-

no Imperatore: Cerinthus verò, fuit aequalis S. Johannis Apostoli; unde refert Eusebius Caesariensis lib. IV. Historiarum Cap. 14. Quod quum aliquando Johannes ad Balneum venisset lotum, animadvertens tum, illuc accessisse Cerinthum, statim se inde proripuit, dicens: *ne balneum subito cadens, cum Cerintho nos opprimat*. Johannes autem decessit anno primo Imperii Trajani, ut tradit in Chronographia, Genebrardus; fuit igitur vetustior Cerinthus.

A Carpocrate autem, secta Gnosticorum originem habuit, qui Christum dicebant, esse Filium hominis, hoc est Josephi, & Mariae, ut refert Tertullianus de Praescriptionibus Cap. XLVIII. His adjungendi sunt Ebionitae, Pauliani à Paulo Samosateno, Sabelliani, & Photinus Syrmiensis Episcopus, Pauli Samosatensis discipulus, qui celebriorem fecit sectam sub nomine Photinianorum; quorum vestigia jamdudum obliterata, novelli recentaverunt Sociniani, quorum teterrimum, atque exitialissimum dogma est, Jesum Christum esse hominem merum, à Maria genitum; itaut ante illud tempus, in rerum natura, nunquam extitarit: Vocari autem Deum, & Dei Filium, non quod essentiâ Divinâ sit praeditus, vel à Deo Patre substantivè generatus; sed propter excellentem dignitatem, & functionem, ad quam ab omni aeternitate destinatus fuerat. Hos igitur refellere, nunc consilium est.

PROPOSITIO UNICA.

Jesus Christus natus de Virgine, est verus Deus.

PRobatur loco maximè expresso initii Evangelii Johannis; Johannis, inquam, qui ut ait Ambrosius lib. III. de Sacramentis Cap. 2. *Majore tuba fudit aeterna Mysteria, quidquid locutus est, mysterium est*. Ibi postquam dixit, Verbum fuisse ab aeterno Deum: apud Deum omnia facta per ipsum; sine ipso nihil: deinde subdit, idem Verbum Deum, à quo omnia sunt condita, carnem factum esse, sivè hominem; & eum esse, qui vocatus est Jesus Christus, quem Johannes Baptista Christum, ideft Messiam esse, testificatus est Filium Dei, quo nomine deinceps appellatus est, & à Nathanaële, Johannis I., Unigenitus Dei Filius.

Respondet Faustus Socinus in Disputatione de Christi Natura, edita Chracoviae anno 1660. in primis: nomen principii, non respicere aeternitatem, sed ordinem earum rerum, quas Johannes de Jesu Christo dilectissimo Dei Filio, scripturus est; pro quo affert exemplum Moysis: *In principio creavit Deus, &c.*, quod à nobis superius refutatum. Secundo, ait, Filium Dei appellari Verbum ibidem, non itaut sit Patri consubstantialis, & coaeternus, sed tantum metaphorice, & metonymicè. Metaphoricè quidem, quia quemadmodum Verbo hominis, ejus voluntas cognoscitur, ita per Christum, omnis Dei voluntas patefit. Metonymicè verò, quia Chri-

Christus est autor illius Verbi, quod per excellentiam, potest ità simplicitèr appellari; quippè quod aliis omnibus utilius sit, & praestantius.

Et quod ait Johannes, *Et Verbum erat apud Deum*, ita exponit: *Jesus, quatenus Dei Verbum, ante Baptistae praedicationem patefieret, soli Deo natus erat*. Rursus, quum Evangelista sic loquitur: *Et Deus erat Verbum*, negat Christum alitèr dici Deum, quam eo modo, quo haec appellatio interdùm rebus creatis communicatur, ut Psalmo 81. *Deus stetit in Synagoga Deorum, in medio autem Deos dijudicat. Ego dixi Dii estis, &c.* Denique quod sequitur: *Et Verbum caro factum est*, aliter exponit, quam vulgò fit; vertit enim, *Et verbum caro fuit* (ex Graeco enim textu potest utroque modo verti), quod sic interpretatur, Christum fuisse carnem, hoc est hominem imbecillem, aerumnosum, humilem, despectum; solet enim Scriptura nomine carnis, significare imbecillitatem, atque humilitatem.

En novam, & imaginosam Socini interpretationem, quà nescio, an aegri somnia, vel deliria absurdiora, & ineptiora esse possint. Bonam Fidem hic desidero, atque illud omnibus Christianorum mentibus infingendum, ex I. Epistola, Divi Petri Cap. I. advoco: Hoc primum intelligentes, quod omnis Prophetia, Scripturae propriâ interpretatione non fit; sivè ut in Graeco legitur, non est propriae interpretationis. Adde regulam quamdam Socini, ut suo se gladio jugulet: ait enim Faustus in Epistola II.

ad

ad Matthaeum Radecium: *cognitionem veri dogmatis de Deo, sine ulla controversia durasse usq; ad tempora Concilii Nicaeni, & aliquando post, inter eos, qui Christum profitebantur*. Ergò, non poterit melius sciri veritas Christianae Fidei, quam ex Scripturis Patrum Antenicaenorum. Videamus modo, quisnam sit germanus, & verus sensus hujus Scripturae loci, qui ex illorum interpretatione, & sententia colligi possit.

Immensi autem esset operis, si omnes eorum Patrum sententias, excutere velimus: proferendi enim essent Ignatius, Justinus, Policarpus, Athenagoras, Irenaeus, Clementes duo, Romanus, & Alexandrinus, Tertullianus, Origenes, Cyprianus, &c., quotquot Petavius recenset lib. III. de Trinitate; itaque satis erit nobis, pauca de multis eligere testimonia. Primum est Ignatii ad Magnesios, ubi ait: *Jesus Christus, qui ante saecula apud Patrem erat, & in fine apparuit*; & paulo post: *Unus est Deus, qui se ipsum manifestum reddidit per Jesum Christum Filium suum, qui est ipsius Verbum sempiternum*.

Secundum, Justini Apologetico II., ubi ait: *Christum à Christianis, dici solum propriè Filium Deo genitum, qui est Verbum ipsius, & Primo genitus, & Virtus, ac de illius voluntate hominem esse factum*. Tertium, Tertulliani de Praescriptionibus Cap. XIII. dicentis, *Verbum Filium Dei appellatum: in nomine Dei variè visum à Patriarchis, in Prophetis semper auditum; postremò delatum ex Spiritu Patris Dei, & virtute in Virginem Mariam, carnem factum in utero ejus, & ex ea natum egisse Jesum Christum*.

Ce-

Cetera vide apud laudatum autorem.

Opponit Faustus primo: Quicumque verè mortuus est, is non est, aut illius, non est Divina substantia, mori enim nulla Divina substantia potest: sed Filius Dei Unigenitus, verè est mortuus; ergò, non ulla Divina, sed humana substantia in Christo, est Unigenitus Filius Dei.

Respondent Catholici. Primum: Propositionem esse universè falsam; nam is, qui verè mortuus est, hoc est Persona Christi, vel Unigeniti Filii Dei, constat duplici natura, seù substantia, quarum una est morti obnoxia, altera mortis expers.

Sed replicat Socinus, quod haec est petitio principii; & hoc modo, posse omnes contradictiones conciliari: nam dicet aliquis, album, quatenus est album, non posse esse nigrum, quasi album possit esse non album: tale autem est hoc; qui est mortuus, quatenùs est mortuus, non est vivus, quasi scilicet, qui mortuus est, possit non esse mortuus.

Respondeo: petitionem principii, non à nobis, sed ab ipsis committi; non enim ille petit principium, qui defendit suam Thesim, & ad eam defendendam, utitur principiis à se positis; sed ille, qui contrà thesim disputans, utitur eo, quod est in quaestione, ad impugnandum tamquam medio. Nostra thesis est: eadem hypostasis Verbi, habet duas naturas in se subsistentes, quarum una immortalis, altera est mortalis, quum utraque in Christo Divina dici possit: una stricte & vere, quia est à Deo communi-

cata Personae genitae, & est Verbum ipsum, ac Dei Filius; altera nimirum humana, nonnisi large, & nomine tenus, quia à Deo assumta, subsistens in eadem persona. Quum igitur ita argumentatur Socinus: ille non potest mori, cujus est Divina substantia; atqui mortuus est, non habet Divinam substantiam; est illud ipsum, de quo est quaestio inter nos, & Socinianos.

Quod addit de contradictione, nihil moror: nulla enim est contradictio, quoties aliquid affirmatur, & negatur de eadem re, sed non secundum idem, ut loquuntur Dialectici. Christus autem verè mortuus est, sed ut ait Apostolus, *secundum carnem*; hoc est, quatenus homo erat; undè *mortificatus carne*, dicitur à Divo Petro I. Epistola Cap. III. Negamus verò eundem fuisse mortuum, quatenùs Deus erat, sivè secundum Divinitatem.

Urget Socinus. Filius Dei Unigenitus, non est mortuus secundum Divinitatem; ergo necessariò sequitur, ejus Divinitatem, non esse Filium Dei Unigenitum.

Respondeo huic Sophistae: neque Filium Dei esse mortuum secùndum Divinitatem, neque propriè loquendo, Divinitatem ipsam, esse Filium Dei Unigenitum. Divinitas enim, realitèr, & identicè, est eadem cum omnibus tribus Personis, licèt ratione, & mentis conceptu, distinguatur. Quum autem dicitur Filius Dei Unigenitus, vel intelligitur Verbum solum, vel Verbum incarnatum. Filietas enim naturalis, dupliciter obtineri potest; vel scilicet per naturam, & generationem formalem, qua natura ipsa, & essen-

essentia communicatur; vel per unitionem substantivam in eandem personam. Prior modus competit soli Verbo, à Patre genito: posterior verò, competit homini assumpto, per unitionem cum Verbo. Itaque Filius Dei, primo modo, est ipsa Divinitas identicè, & realitèr, licèt non ratione: non autem posteriore modo: humanitas enim per assumptionem, non fit Divinitas, sed conjuncta Verbo fit Deus, & Verbum unitione, non generatione, quâ Divina Natura communicatur.

Ex hoc patet responsio ad aliud sophisma Jonae Sclictingii; dùm quaerit, an caro, sivè humana natura pertinet quidquam ad constituendum Filium Dei, vere, & formalitèr dictum, an non pertinet? Si pertinet; ergò antequam carnem assumeret, non fuit Filius Dei verè, & personalitèr. Si non pertinet; quomodo carne, seù naturâ humana moriente, dicitur ipse Filius Dei verè, ac propriè mortuus? Patet, inquam, responsio ex distinctione proximè explicata: nam ad constituendum Filium Dei, quatenus per generationem, naturam communicatam accipit, caro ipsa non pertinet, & ita Verbum ante Incarnationem, erat verè, & propriè Filius Dei. Ad constituendum verò Filium Dei, quatenus assumit alteram naturam, quae ipsi uniatur, ipsa natura pertinet, quae, ut adscita est in eandem hypostasim cum Verbo, ità est adscita in eandem proprietatem Filii, sed alio modo, quam Divinitas; haec enim per generationem, illa verò per unitionem, cessit in eundem, & indivisum Filium Dei.

Instat adhuc Socinus. Per hoc, quod anima hominis sit unita corpori, per nullum loquendi modum dici potest, hominis animam mori, licet corpus moriatur; ergò, etiam si substantia aliqua Divina, quae in Christo esset, foret ipse Filius Dei Unigenitus; tamen per nullum loquendi modum dici posset, Unigenitum Dei Filium, fuisse mortuum.

Respondeo, quod dum homo moritur, non moritur corpus, sed totus homo; nisi sumatur pro toto, pars illa, quae sensibus nostris subjicitur. Sed, ne de hoc disputemus, dicimus; aliter esse unitam animam corpori, aliter humanam naturam Verbo: nam anima, & corpus, non habent unam subsistentiam, neque anima per se subsistens, assumpsit corpus humanum in suam hypostasim; sed utrumque per se subsistit, & est pars totius hominis. At Verbum, & humanitas, non sunt partes Christi, sed ambo sunt quid integrum, & completum; sed Verbum natura simul, & persona; humanitas natura, non persona. Verbum igitur assumpsit naturam humanam in eandem hypostasim; quae ità continet ambas naturas, ut quae singulis conveniunt, inter ipsas mutuò communicentur; Unde dicitur Deus mortuus, sed non quatenus Dei persona, sed quatenus persona Verbi in carne est, quae mortis dispendium sensit: Hinc bene Vigilius in lib. II. contra Eutychen, inquit: *Quum ergò dicimus, Dominum passum, & mortuum, non expavescat Nestorius; quia secundum unitatem personae dicimus. Rursus quum dicimus, Dominum nec passum, nec mortuum, quia est omninò*

nò

nò impossibilis, non formidet Eutyches; quia secundum naturae proprietatem dicimus.

Opponit Crellius Scripturae locum, ex Matthaei Cap. XXIV., & Marci XIII.: ubi Christus ait, neminem scire de die extremi Judicii, nisi solum Patrem, at ne Filium quidem; unde ita colligit. Qui solus aliquando scivit diem, horamve ultimam judicii, is solus est Summus ille Deus; Atqui, teste Christo, Pater solus aliquando diem, horamve illam scivit; quarè is solus, est Summus ille Deus. Hoc argumentum ab Arianis mutuatum, iterùm in Catholicos recudit Crellius.

Respondeo, sensum Scripturae, juxtà complures antiquos Patres, eum esse; Christum ignorasse diem judicii, quà homo erat, scisse verò quà Deus. Nec obstat, quod Crellius retorquet; Christum simplicitèr, & sine ulla limitatione, negasse, Filium scire diem, atque horam judicii: unde consequitur, eum de se toto quantus quantus est, locutum esse. Ridiculè quidem, quasi quum Christus dicitur, mortuus simplicitèr, & sinè ulla limitatione; consequi debeat, totum ipsum, & quantus quantus est, mortem objisse; adeòque etiam ipsius Animam.

CAPUT QUARTUM

De Spiritu Sancto.

DUO sunt, quae inter Catholicos, & Etherodoxos de Spiritu Sancto controversa fuerunt. Primùm, an esset Deus, quod licèt

ex principiis Arii esset negandum; nihilominus Ariani, nunquam id expressè negarunt. Primus autem, qui hoc apertè negavit, fuit Macedonius, à quo Sectarii dicti *Pneumatomachi*, hoc est Spiritus impugnatores. De qua sanè haeresi, ego nihil hic repetendum duco; quum satis valide, nisi fallor, probatum sit superius, tres esse Divinas Personas, *Patrem*, scilicet, *Verbum*, *&* *Spiritum Sanctum*.

Secundum, de quo disputatum est inter nostros, & haereticos est, an Spiritus Sanctus, procedat à Patre tantùm, an etiam à Filio. Qui autem hoc, primus affirmare ausus est, fuit Nestorius, post Nestorium Theodoretus, deindè Photius Constantinopolitanus Patriarcha, qui per vim, ejecto Ignatio, sedem illam invaserat, idem dogma restauravit circa annum 863., cui passim Graeci adhaeserunt: & quamvis in diversis Conciliis, cum Latinis foedus inire visi fuerint, ut in Concilio Barensi sub Urbano II., ubi Anselmus Cantuariensis Episcopus strenuè pro Romanis, adversus Graecos dimicavit: in Concilio Lateranense sub Innocentio III.: in Lugdunense sub Gregorio X.: in Florentino denique sub Eugenio IV. Dogmati Catholico subscripserunt; sed soluta Synodo, opera Marci Episcopi Ephesini, qui Florentinae definitioni, subscribere recusaverat; ad veterem errorem, veluti sus ad volutabrum, Graeci redierunt, de quo adeò gloriantur, ut eum, tamquam tesseram existiment, quâ se discernunt à Latinis. Cum his itaque, manum conserere oportet.

PRO-

PROPOSITIO UNICA.

Spiritus Sanctus procedit à Patre, & Filio.

PRobatur. Spiritus Sanctus missus est à Filio; ergò ab eo procedit, quum missio in Divinis, supponat processionem: ideò enim Pater non mittitur, quia à nemine procedit, quod est argumentum Augustini Lib. IV. de Trinitate Cap. 19., ubi ait: *Pater non dicitur missus; non enim habet de quo missus sit, aut de quo procedat*. Eadem ratione, Verbum dicitur à Patre missum, quia ab eo procedit; quumque non procedat à Spiritu Sancto, dici nequit, Verbum à Spiritu Sancto missum. Propositio autem principalis, probatur ex illo Johannis XV. *Quum venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis à Patre Spiritum veritatis, qui à Patre procedit, ille testimonium perbibebit de me*: & Cap. XVI. *Si non abjero, Paraclitus non veniet ad vos; si autem abjero, mittam eum ad vos*. Igitur Spiritus Sanctus missus est à Filio. Hoc argumentum latè tractatur à Divo Athanasio, in Epistola ad Serapionem.

Respondent Graeci; quod quum in Scripturis dicitur *Spiritum Sanctum à Filio mitti*; non est intelligendum de ipsa persona Spiritus Sancti; sed de donis, quae per quandam *appropriationem*, ut locuntur Theologi, Spiritui Sancto tribui solent. Sed rejicitur hujusmodi

responsio, ex eo, quod supponit, ipsas Divinas Personas nobis non dari, sed tantum communicari earum effectus; quod est contrà illa Christi verba, Johannis XIV. *Si quis diligit me, sermonem meum servabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus*. Praetereà; quod habet solum rationem effectus, non dicitur mitti, sed dari, vel communicari; si ergo mittitur, ipsa Persona mittitur.

Secundo probatur. Processio nihil aliud est, quam receptio essentiae, & existentiae: Sed Spiritus Sanctus, recipit esse à Filio; ergò ab ipso procedit. Probatur assumptio ex Christi verbis, Johannis XVI. *Ille me clarificabit, quia de meo accipiet, & annunciabit vobis*. Quâ autem ratione accipiet, sic exponit: *Omnia quaecumque habet Pater, mea sunt; propterea dixi, quia de meo accipiet*. Ergo Spiritus Sanctus aliquid accipit à Filio: sed hoc, non potest esse aliquid accidentale, quum accidentia in Deo, locum non habeant; est igitur ipsa essentia, & existentia, quae in Divinis, ne per mentem quidem, separari possunt.

Tertio probatur: quia Spiritus Sanctus dicitur Spiritus Filii, ad Galatas IV. *Misit Deus Spiritum Filii sui in corda vestra*: Et Actorum XVI. *Tenebant ire in Bithyniam, & non permisit eos Spiritus Jesu*. Si igitur, idcircò dicitur, à Patre procedere, quia dicitur in Scripturis, Spiritus Patris: eadem ratione, quia dicitur Spiritus Filii, à Filio quoque procedere, dicendum est. Praetereà Spiritus Sanctus, non potest esse Filii, nisi aut tanquam superior, aut inferior, aut aequalis

lis: primum, ac secundum impium est: erit igitur aequalis: at aequalis non potest dici, esse alterius, nisi ab eo procedat; ergo si Spiritus Sanctus est Filii, procedet etiam ab ipso.

Quarto, utemur ad idem probandum, argumento Sancti Augustini lib. III. contrà Maximinum Cap. 14., qui perpendens verba illa Johannis XX. *Haec quum dixisset, insufflavit; & dixit eis: Accipite Spiritum Sanctum*, ita ratiocinatur: *Nisi procederet, & de ipso, non diceret Discipulis: Accipite Spiritum Sanctum; eumque insufflando daret, ut a se quoque procedere significans; apertè ostenderet flando, quod spirando dabat occultè.*

Ex Patribus porrò Graecis, nonnulla afferuntur testimonia in Concilio Florentino: ubi, ut diximus, de hac re, non leviter concertatum est: praesertim ex S. Epiphanio in Anchorato num. 67. & 72.; Cyrillus Alexandrinus in libro de Lapsu & Conversione hominis, & Commentario in Joëlem Cap. XX.: Basilius lib. III. contrà Eunomium, & alii.

Ex Latinis autem, plurimi afferri possent, sed paucis contenti erimus. Tertullianus adversus Praxeam, ita scribit: *Tertius est Spiritus à Deo, & Filio*: S. Ambrosius Lib. I. de Spiritu Sancto Cap. 11. ait: *Spiritus quoque Sanctus, quum procedit à Patre, & Filio, non separatur à Patre, non separatur à Filio*. S. Augustinus Lib. IV. de Trinitate: *Nec*, inquit, *possumus dicere, quod Spiritus Sanctus, & à Filio non procedat; neque enim frustrà idem Spiritus, & Patris, & Filii, Spiritus dicitur*. Leo Magnus Epist. XCIII. docet:

cet : *Alium esse, qui genuit, alium, qui genitus est, alium qui de utroque processit*. Brevitatis autem studio, omittimus Hilarium Lib. II. de Trinitate, Gennadium Massiliensem Lib. de Ecclesiasticis Dogmatibus Cap. II., & alios.

Respondent Graeci. Patrum Latinorum testimonia in hac lite dirimenda, nullas habere vires; ut qui in rem suam testificari videantur. Sed contrà est: quia Patres proximè citati, vixere iis Saeculis, quibus nulla inter Graecos, & Occidentales, exorta erat de hac re controversia. Praeterea Concilia, quae in Oriente habita sunt, & quae ab ipsis Graecis agnoscuntur pro Oecumenicis, in definiendis Fidei Dogmatibus, plurimum Latinorum autoritati tribuunt: ut Ephesinum Cypriano, & Ambrosio: Quarta Synodus Leoni Magno: Sexta Synodus Ambrosio, Augustino, & aliis. Denique, quum Ecclesia Occidentalis, per singula saecula docuerit, Spiritum Sanctum à Filio procedere: si hoc haereticum est, juxtà Graecos, jam Ecclesia Latina haeresi semper laboravit; non puto tamen, ipsos Graecae Fidei homines, si ad sanam mentem provocaverint, in tantam audaciam evasuros.

Opponunt. Patres Concilii Constantinopolitani I., non inseruerunt Symbolo, particulam, *Filioque*; igitur non crediderunt, *Spiritum Sanctum à Filio procedere*.

Respondeo: argumentum ab autoritate negativè, non concludere. Si Patres Constantinopolitani, ea tantum credidissent, quae symbolo expressa sunt, defecissent in Fide Sacramentorum, Purgatorii, Cultus Imaginum, Indulgen-

tia-

tiarum, ac tot aliorum Dogmatum, quae Ecclesia Catholica profitetur; itaque si argumentum valeret, probaret etiam, Patres Nicaenos non tradidisse Divinitatem Spiritus Sancti, quia in Symbolo, ejus non meminerunt. Sed ad rem. Constantinopolitani Patres convenerant, ut adstruerent Divinitatem Spiritus Sancti, ad quod satis erat dicere, procedere à Patre; Processio enim significat consubstantialitatem procedentis cum principio, à quo procedit; nihil igitur attinebat declarare, Processionem ex Filio.

Opponunt secundò. S. Johannes Damascenus, qui floruit VIII. Saeculo Imperante Leone Isaurico, lib. I. de Fide Orthodoxa Cap. 11. docet, *Ecclesiam Graecam, non admittere processionem Spiritus Sancti ex Filio;* & rationem affert, *quia ex Nazianzeno, solus Pater habet rationem Principii.*

Respondeo: omnes autoritates, quae afferri possent à Theodoreto, vel Johanne Damasceno in hac re, nihili faciendas esse; uterque enim in hoc articulo, sequutus est errorem Nestorianorum, ut fatetur S. Thomas prima parte quaest. 36. art. 2. Ad rationem autem, quae subditur, dicimus: Nazianzeni dictum, esse distinguendum; ita ut, Patrem solum habere rationem Principii; sit verum, si loquatur de *principio generativo*; falsum, si de *principio spirativo*.

Tertio opponitur. Productio Spiritus Sancti, vel est proprietas substantialis, vel personalis: Si primum; ergò Spiritus Sanctus procedit etiam à se ipso; si secundum: quum proprietas personalis, non competat n isi uni personae;

sequi-

requitur, vel tantùm Patris, vel tantum Filii esse.

Respondeo, esse personalem proprietatem: sed frustrà dici, nullam proprietatem personalem, convenire duabus Personis; duabus enim convenit amor ille, quo se mutuò amant, quique est principium, quo duae illae Personae spirant, seù producunt tertiam; itaque hoc Graecorum argumentum, petit principium.

Denique opponitur. Vel virtus spirandi, quae requiritur in Patre, sufficit ad producendum Spiritum Sanctum, & sic frustrà requiritur in Filio, virtus spirativa: vel non sufficit, & sic non erit infinita, quod est absurdum.

Respondeo per instantiam: Vel virtus creativa Patris, satis erat ad creationem Universi, vel non. Si primum, ergo frustrà omnia per Verbum facta sunt. Si secundum; ergò, non est infinita. Directè autem respondendo dicimus, non esse inutilem virtutem spirativam in Filio; utpotè, quae est eadem cum virtute spirativa Patris; Pater enim omnia, quae habet, Filio ab aeterno communicavit, unâ excepta Paternitate.

LIBER TERTIUS

De Religione.

QUod initio harum Institutionum postulavimus, in Christiano, scilicet Theologo, animum docilem, & obsequentem, non elatum, non contumacem, neque humanae rationi, plus justo indulgentem; in hac sanè materia, ubi de Religione agimus, etiam, atque etiam inculcamus; si enim cum ingeniis effrenatis, ac tumidis, certamen suscipiendum sit, frustrà erit labor omnis; quum nullus in ea re sit demonstrationis usus, seù Metaphysicae, seù Mathematicae, neque persuasio mentis; sed pia affectio cordis, convictioni intellectus in obsequium Fidei unita, hominem facit religiosum: Ac tum praestabilius erit, simplicem esse, & rudem, quàm *cum tanta pernicie literarum*, ut inquit, Augustinus, jam Manicheismum ejerans, *Surgunt indocti, & rapiunt Regnum Dei, & nos cum nostris literis, demergimur in profundum.*

At, ne quis putet, velle nos humano judicio clitellas imponere, & veluti excaecatum Sam-

Samsonem ad pistrinum damnare : Quid enim magis tyrannicum, quam nobilissimam judicandi facultatem, qua à belluis separamur, compedibus vincere, ut nullo ratiocinio duci possit ? Neque in ea conditione sumus, nec id prorsus est opus ; quandoquidem Divina testimonia, ut Propheta ait, *credibilia facta sunt nimis*. Hoc tantùm flagitamus, quod omnes docti consentiunt ; sufficere, ad hujus rei Fidem faciendam, argumenta probabilia, & si non sint demonstrativa, ut in plerisque omnibus videmus ; homines, ita comparatos esse, ut credibilia, pro credendis habeant ; aliàs nihil unquam, neque publicè, neque privatim quisquam, vel diceret, vel faceret ; immò, neque terram calcare crederet ; quum ad probandam rerum materialium existentiam, deficiat demonstratio, juxtà doctiorum sententiam. Rectè igitur Aristoteles principio Ethicae scripsit : *certitudinem rerum non esse in omnibus eodem modo quaerendam, sed juxtà genus cujusque, & quantum rei natura sinit ; absurdus enim fuerit, qui Geometriam suadentem admittat, vel ab Oratore demonstrationem requirat*. His itaque suppositis, ad rem venio.

Fertur hac tempestate pestifera, ac exitialis *Deismum*, ut vocant, haeresis, putantium, Deum quidem esse, sed ipsum nihil esse aliud, praeter Universum, sivè ipsam rerum naturam ; nullam praetereà esse Revelationem, nullumque exhibendum Cultum Religiosum : ut enim dicebat Socrates, apud S. Augustinum Lib. I. de Consiliis Evangelicis Cap. 18. *Unusquisque Deus, ità colendus est, ut se ipse colendum esse*

esse praecipit. In tantum verò, admittendam Religionem, in quantum ad continendos in obedientia populos, inservit. Sic Numa Pompilius, Religionis specie, Populi Romani ferociam edomuit; Minos Cretensium; Sertorius Hispanorum. Proindè omnis Religio, quaecumque ea sit, bona erit; si hunc finem assequatur, ut simplex plebecula fidelitatem, & obsequium praestet; nec aliam ob causam, vafri homines, hoc religionis simulacrum inane composuerunt, ut fert vetus dictum: *Sapienter ad opinionem imperitorum, esse fictas Religiones*. Atque hi sunt, qui Deistae, Naturalistae, Politici, Spinozistae vocantur.

Ceterum, antequam haec monstra lacessam; juvat hic vestigare, quid sit Religio, & undè dicatur. Marcus Tullius Lib. II. de Natura Deorum, ità Religionem à superstitione distinguit: Qui totos dies precabantur, & immolabant, ut sui liberi sibi essent superstites, superstitiosi sunt appellati: Qui autem omnia, quae ad cultum Deorum pertinerent, diligentèr pertractarent, & tamquam relegerent, sunt dicti Religiosi, ex *relegendo*. Lactantius à *religando* derivat, quod Deus pietatis vinculo, hominem sibi ligaverit. Alii à *reliciendo*, hoc est, alliciendo, quia multae Religiones, dolo Sacerdotum institutae, in fraudem homines alliciunt.

Superstitio verò dicta est, à rebus super nos stantibus; hoc est Coelestibus, & Divinis, ut putat Servius in illud Aeneidos VIII.

Vana superstitio, veterumque ignara Deorum.

Ad

Ad quod respexisse videtur Lucretius lib. I., dum de Religione loquens, ait.

Quae, caput à Coeli regionibus ostendebat,
Horribili semper aspectu Mortalibus instans.

Hinc apud veteres, confusa interdum haec nomina, & Religiosus dicebatur, qui nimia, & superstitiosa Religione sese alligaverat, ut docet Gellius Lib. IV. Cap. 9., ubi antiqui Poëtae versum recitat,

Religentem esse oportet, Religiosum nefas.

scilicet, inclinamentum illud, verbi *Religiosus*, accipiebatur, ut in his, vinosus, mulierosus, nummosus, &c., quod immodicam quandam rei copiam significat. Plura, qui cupit, eruditionis gratiâ, videat Petavium lib. XV. de Incarnatione, Capite 1.

Quod ad rem attinet, Religio definitur, *est Virtus, quae Deo tamquam supremo omnium Domino debitum, & congruentem cultum exhibet*. Qui igitur Deum esse novit, quod ignorari non potest ex demonstratis in superiore libro, eique debitum negat cultum; is eum non agnoscit pro Domino, quod conditioni ipsius creaturae repugnat, ut latius ex infrà dicendis, constabit.

PROPOSITIO PRIMA.

Datur in humanis vera Religio.

PRobatur primò. Quod universi homines aequè sentiunt, id verum esse putandum est, quasi non sit opinio acquisita, sed notio

ab

ab ipsa natura insita: unde dicebat Cicero I. Tusculanarum: *Omnium consensus, naturae vox est*. Quare enim dicunt Politici, hominem in statu merè naturali, & seorsum à societate, vel nullo modo, vel non securè vivere potuisse: Societatem verò sine Legibus, sinè Magistratibus manere non posse, nisi quia omnes id uno ore fatentur? Atqui omnium semper constans fuit sententia, esse aliquam veram Religionem; erit igitur haec naturalis notio, & Mortalibus ingenita, ideòque vera.

Assumptio, historiis clarissimè evincitur; nusquam enim legitur aliqua fuisse Natio, Urbs, vel Oppidum, ubi non fuerit Divinus Cultus, Juramenta, Preces, Sacrificia; immò, quod magis notandum, in America repertae sunt gentes barbarissimae, quae sparsim belluarum more vivebant sine Rege, sine Lege, sine ulla politia; in hoc tantum solo, à belluis distinguebantur, quod nulla non aliquam Religionem observaat.

Neque dicas; non posse dici universorum sententiam, quae tot habet contradictores Politicos: Nam si ita est, jam nullum erit naturae dictamen, quum nulla tam stolida sit opinio, quae non aliquem inveniret patronum, ne hoc quidem naturale, & universis insitum erit, quod vel ipsi admittunt Politici, vitam esse studiosè conservandam, propterèa, quod multi vel fatui, vel desperantes, laqueo sibi gulam fregerint. Quemadmodum igitur rectè dicimus, furtum naturâ turpe esse, licèt Lacedemonum Respublica illud permiserit: Parentes esse honoran-

dos, licèt quidam eos necaverint; ita rectè dicemus, Religionem esse à natura cordibus hominum inscriptam, licèt impii, & libertini eam refugiant.

Secundo probatur. Concedunt Politici, non posse hominum Societatem sine Religione regi: undè putat Macchiavellus, Principem debere prae aliis affectare Religionem; & igitur Religio necessaria: sed nihil fictum, aut falsum necessarium esse potest hominibus; error enim repugnat naturae rationali, & malus est; ideoque non potest esse necessarius ad bonum, quemadmodum aegritudo, non potest ad sanitatem esse necessaria; ergò datur inter homines vera Religio.

Adde, quod haec Politicorum propositio se ipsam destruit, impostura Religionis est necessaria; quum enim imposturae facilè dignosci possint, facilè est, posse hoc omnibus innotescere; quo facto jam omnis Religio extinguitur, & sic actum est de humana societate; ergò, vel dicendum, non esse necessariam, vel non esse imposturam. Quod planè si ità esset, saltem diuturnitate temporis haec larva destructa foret; ut enim sapientèr Cicero lib. II. de Natura Deorum scripsit: *Opinionum commenta delet dies, naturae judicia confirmat, ut videmus in Religione accidisse, quae ob temporis longaevitatem non tantum destructa non est, sed magis ac magis confirmata.*

Hinc vides, quam scelerata sit haec sententia, quam nemo vellet, etiam Politicus aliis innotescere; licèt enim ipse sibi permittat homici-

micidium, adulterium, perjurium, ac caetera flagitia; idem tamen nollet filios, uxorem, subditos ejusdem esse opinionis; metuit enim, ne filii, veneno ipsius vitae insidientur, uxor honori, alii libertati, vel rei familiari; quisque enim facilius laedi potest, quam laedere: nam minus potest unus adversus decem aequales, quam decem adversus unum, etiam si in illum factione non conspirent.

Neque juvat replicare, Societatem hominum non esse à natura, sed ab ipsorum hominum instituto; ideoque non est mirum, si ad eam conservandam sit necessarium aliquid fictum.

Contrà enim est: quia licèt Societas non sit immediatè ab ipsa natura, tamen humana ratio à natura est; ratio autem dictat, homines vivere non posse, nisi in societate, societas igitur à natura est. Etenim quum natura omnibus viventibus dederit auxilia necessaria ad vitam tuendam, ut patet in brutis, quorum alia dentibus, alia unguibus, rostro, cursu, volatu, &c., satis virium habent ad se defendenda; homini autem nihil armorum superest, praeter intellectum; quod agitur homo ratione ductus, ut necessarium eligit, id maximè naturale est, alioquin homo à natura creatus fuisset imperfectus, quia immò non tantum mentem, sed etiam loquelam natura nobis dedit, quippe ad Societatem ordinatos; oportebat instrumenta habere, quibus alter alteri mentis conceptus aperire posset.

Tertio probatur. Ratio naturalis jubet, ho-

minem probum esse, malum vitare, bonum sequi debere: atqui unusquisque agnoscit, se debilem, & infirmum ad hoc adimplendum: homo enim, dum irà fertur in alterius necem, videt se contra naturam abripi, quae dictat, nihil esse alteri faciendum, quod ipse sibi fieri nollet; ac proindè experitur, sensum cum ratione pugnare; in pugna autem sensus validioris cum ratione imbecilla, non potest victoria sperari, nisi cum auxilio alterius; ergo non potest homo probus esse, nisi altero opem ferente: sed hoc auxilium non potest praestari nisi à Deo, qui Omnipotens est, & voluntati vires sufficere potest; ergò existit vera Religio, quae docet Deum esse colendum, timendum, orandum, eique omnis probitas, & honestas accepto ferenda.

Denique, si neque allata argumenta, neque Universi vox ad certitudinem Religionis ostendendam sufficiant, rem hanc saltem dubiam efficient: humana verò prudentia postulat, ut in dubiis illud praeoptemus, ubi minus imminet periculi: At si Religio falsa sit, & nihilominus credamus, nullum inde periculum est: Sin autem vera, & nos simus increduli, aeternum infelices futuri sumus. Quae igitur vecordia est, iis rebus nolle Fidem adhibere, quae creditae nihil nocent, neglectae possunt infinitam afferre calamitatem?

Planè S. Augustinus lib. VI. Confessionum Cap. 1. fatetur, se, quum diù incertus fluctuasset inter Philosophorum, & Christianorum dogmata, tandem ad Scripturae veritatem ample-

plectendam, hac praecipuè ratione adductum fuisse, quod sibi ineptum videretur tàm multa credere, quae neque vidisset, neque quum gererentur adfuisset, velut in historia Gentium, in descriptionibus locorum, & Urbium; fidem habere Medicis, Amicis, aliisque multis; demum pro certo habere, se his ortum esse Parentibus, quod aliis tantùm renunciantibus cognovisset; Libris verò sacris Fidem derogare, quorum autoritatem omnes ferè gentes susciperent.

Opponunt: Si daretur vera Religio, oporteret, eam posse ab hominibus inveniri, & discerni; cui enim bono Religio esset, si frustrà semper quaesita, nunquam inveniretur? aut quomodo posset homo à Deo puniri, si eam Religionem non servaverit, quam reperire non possit? Atqui vera Religio nequit discerni; nulla igitur est vera; probatur minor. In tanta Religionum varietate, & confusione unusquisque suam putat, & dicit esse veram, ejusque fundamenta quaecunque ea sint, profert; plerumque verò homini ea contingit Religio, quae suae originis loco convenit. Sic quia in Italia nati sumus, ubi Catholica Romana servatur Religio; iidem si Constantinopoli nati, Muhammedani: si in Saxonia, vel in Anglia, Lutherani essemus, vel Calvinistae; nemo igitur hanc, vel illam servat Religionem, quia hanc prae illa veram esse cognoscit, sed prout fors tulerit nascendi.

Urgent praeterea. Si vera Religio inveniri posset, id vel fieret ex fide aliorum, vel

ex proprio scrutinio: At neutra ex his, ad ejus cognitionem conducere potest; igitur non est invenibilis. Probatur minor quoad primam partem; nam omnis homo tenetur praejudiciis, ac proinde studio, ac affectione propriae Sectae: quoscunque interrogaveris, de sua praedicabunt, quumque ubique gentium sint homines docti, & integrae famae, non est cur uni praeter alios credere debeam; itaque ratio credendi, nequit ostendi ex aliorum fide, & testificatione.

Secunda pars probatur. Si proprio examine, atque experimento deberet quis veram Religionem discernere, necesse esset singulas Orbis Sectas, Religionesque diligenter explorare, earum caussas, principia connexa, & consequentia expendere, omnes denique audire, ut in tanta re oportet: Atqui haec nullus Mortalium perficere potest; non docti, & perspicaces: defecit enim vel librorum copia, vel pecunia, vel bona valetudo, vel tandem vita, quae vix brevitate sua, immensum hoc studium absolvere posset: non indocti, tardique ingenio, qui neque studiorum suorum fiducia id assequi possunt, neque doctiorum persuasionibus acquiescere, quum in omni gente, vel secta homines docti reperiantur. Quod si Patriae tantum suae Doctores audire debent, jam ad nascendi sortem cuncta devolventur, quod erat proximum absurdum; neque tenebantur Judaei, vel Gentiles aures praebere Apostolis Christi, neque tenerentur Sinenses, vel Americani audire Evangelicos Concionatores, qui peregrè ad ipsos accedunt.

Respon-

Respondeo, veram Religionem, & inveniri posse, & facilè invenitur. Ex demonstratione enim Metaphysicâ; probatur existentia Dei; hoc est Entis summè perfecti; cujus est omnia regere; ac providere; qui enim cum Epicureis providentiam Deo abnegat, is omnium bipedum stultissimus est; neque ullum de Deo sanum habet conceptum, utpotè, qui à cumulo perfectionum, perfectionem maximam, nimirum Providentiam, removet. Si igitur à Deo, nostrae menti multarum rerum ideae inditae sunt, quibus possimus scientias nobis comparare, v. gr. quod totum sit parte suâ majus, quod cujus habemus claram, & distinctam ideam, id verum sit, quod nihil possit simul esse, & non esse, &c.; ac proindè habemus à Deo documenta prima, quibus possimus Geometrae fieri, & Metaphysici; an putandum est, nullam nobis ab ipso ideam datam, quâ in cultum ipsi debitum feramur? quâ veram felicitatem assequi possimus? Haec enim magis & Deum decent, & homini necessaria sunt: Si autem horum Caput Religio est, jam Religio non solum erit invenibilis, sed facilè invenibilis.

Insuper demonstratur à Metaphysicis, mentem humanam esse realitèr à corpore distinctam: huic proximum est, eam esse immortalem. Si enim nihil est, necesse, eam cum corpore perire; constat eam resolutioni non esse obnoxiam; corpus enim, quia partibus componitur, in eas resolvitur; at nemo unquam intelligere poterit quadrantem, vel dimidium cogitationis. Hoc posito, videndum de felicitate,

aut de infelicitate animae hominis post hanc vitam; Profectò enim, quum Deus sit justus, aequalitatem in omnibus servare debet: sed in hac vita saepè videmus, mala bonis, bona malis contingere; erit igitur status, in quo bona bonis, mala malis retribuentur; ergò datur aliqua doctrina, quae homini finem respiciendum praescribat, à sceleribus deterreat, ad virtutem incitet, proposito perennis beatitatis, vel infortunii eventu, quae Religio dicitur.

Et haec quidem iis, qui sano ratiocinio utuntur, cognitu facillima sunt: qui verò sunt idiotae, & non usque adeo sapiunt, aliis motivis, existentiam verae Religionis persuadere sibi possunt; nimirum Signis, Miraculis, Prophetiis, Martyrum constantiâ, Ecclesiae Sanctitate, Firmitate, &c. Itaque possunt tam sapientes homines, quam vulgares veram Religionem invenire, licèt diversa via. Mentiuntur ergò prophani, & libertini, qui eam invenibilem non esse, jactant.

PROPOSITIO SECUNDA.

Sola Christianorum Religio vera est.

Dico solam veram esse, nam lumine naturali quisque intelligit; quod si haec vera est, non possunt aliae, quae diversa principia, & dogmata praeseferunt, huic etiam contraria, verae esse. Quoniam verò ad nostram

ſtram Theologiam, quaeſtiones Scholaſticas nullo modo pertinere volui; idcircò abſtineo in praeſenti, illam controverſiam attingere, an Chriſtiana Fides, habeat non ſolum evidentiam credibilitatis, ſed etiam evidentiam veritatis, quod ultimum negat Sfortia Pallavicinus cum aliis. Bellarminus verò concedit, ſolam evidentiam veritatis ex ſuppoſitione, ſi admittatur autoritas Scripturarum, & Sanctorum Patrum, quod idem eſt, ac dari evidentiam veritatis adverſus Haereticos, ut poſſit demonſtrari, quae nam ſit veritas revelata; at non adverſus Infideles.

Ego ſanè exiſtimo, in noſtra Religione etiam Veritatis evidentiam reperiri, niſi tamen, evidentiae nomine, intelligas certitudinem Metaphyſicam, vel Geometricam: de cetero ſi intelligas evidentiam moralem, ajo; non minus eſſe certa Fidei noſtrae principia, ac certum ſit, fuiſſe olim maximum apud Romanos Imperium, extitiſſe Caeſarem, Auguſtum, Tiberium, &c. eſſe nunc Americam, Aegyptum, & alia hujuſmodi: immò etiam, ſi dicatur haberi evidentia veritatis ex ſuppoſitione autoritatis Librorum Sacrorum, jam ex probatis in Lib. I. evincitur, Sacra Biblia eſſe Divinae autoritatis, & ſic Chriſtiana veritas erit ſimplicitèr evidens.

Sed antequam ad probationes veniam, illud ſupponendum eſt, veram Religionem, non eſſe quoad ſingula examinandam; hoc enim ſuperbiae Gentilium erat, qui nihil admittebant, niſi quod humano ingenio congruere videbatur. Et fru-

fruſtrà ſanè de Moyſe dixit Averroes; *Multa loquitur, ſed nihil probat; benè loqueretur Barbarus, ſi probaret*: Probatio enim ſcientiam parit, non Fidem; & qui Deo credere ſe profitetur, credere debet etiam; quae non intelligit. Si igitur tibi probavero, Moyſem fuiſſe à Deo miſſum; teneris ea, quae propoſuit, credere, etiamſi mente non aſſequaris. Veſana enim haec arrogantia eſt, velle à Deo rationem quaerere dicti ſui, quum tot ſint in Phyſicis, & Geometricis, quae ut vera à nobis admittuntur, nec tàm clarè, diſtinctèque percipiuntur, qualis eſt diviſio corporis in infinitum, conjunctio animae corpori, & alia, ut de Geometricis taceam. Itaque recti judicii eſt putare, quae homines à Deo inſpirati dixerunt vera eſſe, utcumque intelligi non poſſint

At non idcircò ad Muhammedanam Barbariem deflectendum eſſe, cenſemus, qui Religionem totam in gladio ſitam habent, ità ut ſublata cujuſvis examinis facultate; homines bruteſcere cogant: Abſit tanta vel ſtoliditas, vel immanitas, vel tyrannis à verae Religionis cultoribus. Sed nec omnia, ut Ethnici, vel nihil, ut Muhammedani in Religione expendendum eſſe fatemur; verùm & ſciendum, & credendum parìtèr contendimus: credendum ſcilicèt ſine diſputatione doctrinam revelatam: ſed ſciendum, quidnam revelatum ſit. Ità rectiſſimè Apoſtolus II. ad Timotheum I. 12. ait: *Scio, cui credidi, & certus ſum, quia potens eſt depoſitum meum ſervare*. Et perperam Julianus Apoſtata Chriſtianis objiciebat: *Veſtra eſt*

in-

infantia, & rusticitas, nec quidquam aliud, quam crede, vestrae sapientiae est. Cui reponit Nazianzenus Oratione III. in Julianum; illud Pythagreorum; *ipse dixit*: quemadmodum enim si Pythagoras fuisset infallibilis, nihil fuisset quaerendum de Dogmatum veritate; sed tantum, an & quid dixisset; ità quum Deus sit certissimè verax, & infallibilis; nihil aliud quam, an, & quid dixerit, quaerendum.

Venio nunc ad probationes. Christiana Religio, neque res falsas ad credendum proponit, neque rebus veris Fidem adimit; vera est igitur. Consequens de se patet: nam Religiones, quae falsa credenda proponunt; quales sunt Gentilium, verae esse non possunt; neque Judaica, quae licèt vera proponat, non tamen ex integro; plurimis enim rebus veris, Fidem non habet: paria autem sunt credere falsum, & non credere verum. Antecedens probatur. Religio Christiana est, quae statuit, Jesum Nazarenum esse Messiam, ea, quae fecisse, ac docuisse, quae narrantur in historiis novi Testamenti: Sed hae Historiae veraces sunt; ergò & illa vera est. Probatur minor: verax est historia, quae res gestas ità narrat, ut narrantur in multis Libris coëtaneis, vel proximis aetati, qua res gestae sunt: Unde enim scimus, vixisse olim hominem nomine Caesarem, bellica virtute praestantissimum? Scilicèt ex ipsius Commentariis, ex Cicerone, Bruto, Livio, Vellejo, Lucano, & aliis, qui fuerunt ejus temporis, vel aequales, vel suppares: Atqui tales sunt Historiae de Christi gestis; ergò veraces.

Ad

Ad firmandam assumptionem, non utar testimoniis domesticis, ne caussam infirmam sustinere videamur. Omissis igitur Evangelistis, tùm Petro, Paulo, Jacobo, aliisque Christianis, qui coëtanei fuerunt, & res à Christo gestas eodem modo narrant; advocabimus testes Ethnicos, & Judaeos, Christiani nominis hostes infensos. Non tamen singula Christi, & Apostolorum Acta expendemus, quod nimis longum esset, & alias ab Eusebio in Demonstratione Evangelica abundè praestitum, sed illustriora tantum gesta memorabimus.

Fuisse olim in Judaea virum quemdam nomine Jesum, nemo sani sincipitis negaverit, Quamplurimi enim Gentiles, de hoc testantur, Svetonius, Tacitus, Plinius junior, Celsus, Lucianus, aliique. Natum in Bethlehem, probant Tabulae Censuales Romanorum, quae quum in Archiviis servarentur, confidentèr earum Fidem appellabant, Justinus Apologia II., & Tertullianus contra Marcionem. Testes etiam sunt Helena, & Constantinus, qui speluncam, ubi Christus natus praedicabatur, Templo, & Donariis decorarunt. Novam Stellam post Christi ortum apparuisse, & ad eum venisse Magos, fatetur ipse Julianus Apostata, licèt ad caussas naturales recurrat. Herodis, ob suspicionem Regni, immanem saevitiam in pueros, & in ipsum filium suum, fidem facit Augustus illo celebri dicto: *Praestat Herodis porcum esse, quam filium*; de quo Macrobius II. Saturnalium 4.

Jesum fuisse Prophetam, novisse, ac prae-

nun-

nunciasse futura, tradit Phlegon Trallianus, Hadriani Augusti Libertus in Chronicis. Miracula patrasse, fatentur Hebraei in Thamude, & Christianorum inimicissimi Celsus, & Julianus, licèt ad incantationes, & praestigias refert Celsus: Julianus rem verbis elevare studeat, ut patet ex Origene lib. II. contra Celsum, & Cyrillo Lib. VI. contra Julianum. Fuisse Cruci affixum, testatur Tacitus Lib. XV. Annalium, ubi de Christianis loquens, ait: *Autor ejus nominis Christus, qui Tiberio imperitante, per Procuratorem Pontium Pilatum, supplicio affectus erat.*

Sed magnum suggerit argumentum, mirabilis illa Solis defectio, & ingens terraemotus, quae Christo moriente contingerunt. Meminit citatus Phlegon Lib. XIII. Chronicorum ad annum IV. Olympiadis 202., qui incidit in annum XVIII. Tiberii, quo mortuus est Christus, ait autem; *Dies, hora sextà, ità in tenebrosam noctem versus, ut Stellae in Coelo visae sint, terraeque motus in Bythinia, multos aedes Nicaeae subvertit.* Eadem apud Thallum reperiri III. Historiarum, aliosque Gentiles, testatur Eusebius; hinc Tertullianus in Apologetico Cap. XXI. hujus prodigiosae defectionis testes citat ipsas Paganorum tabulas: *eum*, inquit, *Mundi casum in Archivis vestris habetis.* Et S. Lucianus Martyr Antiochenus coram Praeside Nicomediae constantèr, ait: *Consulite Annales vestros, invenietis Pilati temporibus, dum pateretur Christus, media die fugatum Solem, & interruptum diem.* Quid? Quod in Sinarum monu-

numentis notatum reperitur ad id tempus, quo Christi mors circà mensem Aprilem, Solare diliquium praeter naturae leges contigisse; qua observatione Quambrutium Sinarum Imperatorem magnopere commotum fuisse, refert Hadrianus Gressonius in historia Sinensi. Fuisse autem non ordinariam, sed portentosam Eclypsim, demonstrat Petavius Libro X. de Doctrina Temporum Cap. XXIV.

Accedit praeclarum Josephi de Christo testimonium. Fuit autem Flavius Josephus Hebraeus, Sacerdotum genere prognatus, sectà Pharisaeus, quam praeter alias, Christus incesserat: isque Vespasianum Judaicae gentis hostem implacabilem, vel Messiam esse credidit, vel credere simulavit. Hic autem historicus Lib. XVIII. Antiquitatum Cap. 4. ingenuè de Christo scripsit, *fuisse eum virum sapientem, si tamen virum dicere oportet: Mirabilia fecisse, eorumque fuisse Magistrum, qui vera libenter, amplectuntur, plurimosque tum è Judaeis, tum è Gentilibus ad se protraxisse: à primoribus tandem suae gentis accusatum, à Pilato ad crucem damnatum, post tertium diem redivivum suis apparuisse; quum Divini Vates haec, aliaque per multa admiranda de ipso praedixissent*. Quid potuit clarius à Christiano proferri?

Tanta igitur fuit vitae, Doctrinae, ac Miraculorum Christi fama, quae Gentes jam omnes persuaserat, ut mirum non sit, Romanos Imperatores adhuc Gentiles censuisse, eum inter Deos referendum, divinosque illi honores tribuisse. Primum quidem Tiberius de rebus à

Chri-

Christo supra hominis vires gestis, à Pilato certior factus, ad Senatum retulit, ut inter Deos cooptaretur. Abnuit quidem Senatus, sivè propter Hebraeorum infamiam, quam pridem notaverat Cicero in Oratione pro Flacco, sivè ob supplicii dedecus, quo Jesus extinctus fuit, sivè quod extera Sacra recipi, jam vetitum esset, ut Livius tradit Lib. XXIX.; sivè quod verius puto, noluit Deus Sanctissimum Filii sui nomen tam foeda societate, Doemonumque colluvio dehonestari. Quodcumque tamen sit, perseveravit Tiberius in sententia, & benevolentia ergà Christianos, poenasque constituit adversus eorum accusatores. De hac rè autorem habemus Tertullianum in Apologetico Cap. V. & XXI. Christianum sanè Scriptorem, sed nullius mendacii coarguendum; quum haec objecerit ipsi Senatui, Populoque Romano, qui rei falsitatem facilè deprehendisset ex Commentariis públicis, iisque potissimum, quibus res sub Pilato gestae continebantur, & quorum Fidem, non semel implorat Justinus Apologia II. Similia de tentato Christi Cultu ab Hadriano, & Alexandro Severo narrat Lampridius.

Quod attinet ad Apostolorum praedicationem, licèt externis testimoniis deficiamur, rem tamen omnem prodigiis, atque Altissimi dextera expeditam fuisse, tot, tantaque credibilitatis argumenta evidentèr commonstrant, ut non sinat, vel mens, vel pudor de hoc nullatenus dubitare. Et primo quidem, Apostolos veraces fuisse, ratio suadet; si enim negas, ergò

vel

vel ipsi decepti fuerant; vel alios decipiebant: Neutrum admitti potest: non primum, quia quum Petrus, v. gr. praedicabat, Christum resurrexisse à mortuis, non potuit in eo decipi, quum fuerit testis oculatus. Unde Johannes historiam suam ità conclusit: *Hic est Discipulus ille; qui testimonium perhibet de his, & scripsit haec, & scimus, quia verum est testimonium ejus*. In Capite autem praecedente scripserat: *Multa quidem, & alia signa fecit Jesus in conspectu Discipulorum suorum, quae non sunt scripta in libro hoc*. Non secundum, quia nullus mendaciorum sator, tantùm sibi placere velit, ut ad fabulas suas confirmandas, per atrocissima supplicia, denique animam agere, non recuset.

Secundo. Si Apostolicae praedicationis circumstantiae omnes excutiantur, clarissimè constabit, nihil aliud fuisse, nisi Divinae veritatis, ac potentiae instrumenta, quae portentis, & miraculis innumeris, Mundum ad veram Religionem adduxerint. Si numerum Personarum inspicias, duodecim reperies, quot nimirum ad familiam, vel oppidulum instruendum vix, essent satis: si conditionem, homines videris de ima faece vulgi, rerum omnium egenos, sine sacculo, sine pera, sinè amicis, omnibus denique destitutos, quae apud homines in pretio sunt. Si eos, ad quos missi fuerunt, deprehendes: Orbem nunquam magis literatum, nec tantum simplicem populum, sed viros doctissimos: iis aures primùm, mox intellectum prae-

praebere captivum: neque enim in rure, vel pago Apostoli praedicarunt, sed Athenis, Romae, ubi & ingenia, & literae potissimum florebant.

At fortassè, res ad credendum faciles, ad agendum, suaves proponerent? Nihil minus. Quid enim credendum? Deum uni Trinum, Deum carnem factum, crucifixum, redivivum: Homines in Adamo peccasse omnes, Deo conciliari per lavacrum, & his similia, quae omnem captum, & humanam superant Fidem. Quae fieri praecipiebant? Castè, sobriè vivendum, superfluum erogandum, inimicis benefaciendum, & alia, quae sensum dictamini penitùs repugnant. Fortè homines in probitatem tunc inclinati? nihil corruptius: Romani praesertim, ut Sallustius, Livius, Juvenalis declamant. Usque adeo verum, quod ait Apostolus I. ad Corinthios I. *Quae stulta sunt Mundi elegit Deus, ut confundat Sapientes: & infirma Mundi elegit Deus, ut confundat fortia.*

Neque dicas; Muhamed Arabem, Camelorum pastorem, literarum omnium expertem, VII. Saeculo ineunte, novam Religionem infinitae multitudini persuasisse. Ne, inquam, dicas; constat enim ex Historiis Zonarae, Cedreni, Pauli Diaconi, aliorumque, Muhamed, ductâ viduâ divite, mercatorem factum, imperitum ipsum, imperitissimae multitudini imposuisse, primùm illusionibus quibusdam, & praestigiis; cui rei multum opera sua profuere, duo Judaei Apostatae, & duo Christiani Haeretici Sergius, & Johannes; legem scripsit,

O quam

quam Arabes vocant *Alkoran*, hoc est Scripturam per excellentiam, eamque versibus rythmicis distinctam edidit, ut stolidae plebi suavitate cantus, esset plausibilior. Fabulatur, eam sibi à Deo missam, non semel totam, sed ut Sybillae folia, diversis locis, & temporibus, ac sententiis abruptis, ne quis in ea rationem, ordinem, vel consequentiam curiosius inquireret. Mox vi, & armis belluina secta propagata est, imposito praeterèa tyrannico mandato, nihil examinandi, nihil dijudicandi; itaque ejus incrementum violentiae debetur, non praedicationi. Vae enim Muhamedanis, si ratione agendum esset.

Sapienter igitur Augustinus Libro XXII. de Civit. Dei Cap. 5. ad Evangelii praedicationem respiciens, ait: *Stupentibus, vel doctis, vel indoctis, jam crediderunt, & docti, & indocti: Si rem credibilem crediderunt, videant, quàm sint stolidi, qui non credunt; si autem res incredibilis credita est; etiam hoc utique incredibile est, sic creditum esse, quod incredibile est*. Et paulo post *Non peritos Grammatica, non armatos Dialectica, non Rhetorica inflatos piscatores, Christus cum retibus Fidei, ad mare hujus saeculi paucissimos misit; atque ita ex omni genere tàm multos pisces, & tanto mirabiliores, quanto rariores etiam ipsos Philosophos coepit.*

Alludit autem S. Doctor ad historiam Evangelicam Lucae V.: ubi quum Apostoli per totam noctem laborantes, nihil coepissent, ait ad Dominum Petrus; *in verbo tuo laxabo rete*, & statim ingens piscium copia capta est: mirantibus

bus autem cunctis, Christus Petro inquit: *Noli timere, ex hoc jam eris homines capiens*. Scilicèt, si capiendi erant homines propriis Apostolorum viribus, frustrà omnis impenderetur labor; quod autem incredibilis copia capta sit: hoc ideo, quia retia laxarunt in nomine Christi, hoc est in brachio forti, & virtute Omnipotentis; oportuit igitur prodigiis, ac miraculis suprà naturam editis, perculsos homines, Apostolis Fidem habuisse; neque alitèr fieri potuisse, intelligibile est. Concludit ergò subtilitèr Augustinus loco citato: *Si Miracula facta esse non credunt: hoc unum nobis grande Miraculum sufficit, quod terrarum Orbis, sine ullis miraculis credidit*. Vide etiam Chrysostomum in Oratione, *quod Christus sit Deus*.

Tertio Christianorum fervens in Deum pietas, insignis in homines caritas, mirabilis in tormentis constantia, fatentibus vel ipsis Paganis, magnum praebet credibilitatis argumentum. Illustre est in hac re Plinii testimonium X. Epistolarum 97. Is dum Ponti, Bithyniaeque Proconsul esset, à Trajano petiit, quomodo agere deberet cum Christianis, quorum superstitio, non tantùm Civitates, sed vicos etiam, & pagos pervagabatur, ait: se per tormenta quaesisse, cujus criminis essent rei, nec aliud deprehendisse, nisi quod statis diebus antè lucem convenirent: carmen Christo, quasi Deo, dicerent, seque Sacramento, non in scelus aliquod obstringere, sed ne furta, ne latrocinia, ne adulteria committerent, ne Fidem fallerent, ne depositum abnegarent, mox cibum cape-

rent promiſcuum, tamen & innoxium, ut non aliud in ipſis puniendum cenſeret, niſi pervicaciam, & inflexibilem obſtinationem, quam ſcilicèt nos invictam animi fortitudinem, & in propoſito ſervando perſeverantiam, ac firmitatem interpretamur.

Hanc quoque Chriſtianorum conſtantiam, licèt aliud agens, ſummopere tamen extollit Arianus Philoſophus ſub Hadriano Imperatore, Doctrinae fama conſpicuus, in Epicteto lib. II. Cap. 9.: ubi hoc diſcrimen conſtituit inter verè baptizatos, & baptiſmi ſimulatores; quod primi fortem animum, & propoſiti tenacem oſtenderent, non utique ſecundi. Galenus itidem magnus Chriſtianorum oſor lib. III. de differentia pulſuum, quum quorundam Philoſophorum, & Medicorum pertinaciam notare vellet, ait: *citius Chriſtianos Religionem ſuam abnegaturos, quam illi meliorem ſententiam induant*.

Itaque, quum homines non ſint admodum vitae prodigi, libentius verò mortem oppetant, quam diriſſimis ſuppliciis se cruciari ſinant; incredibile eſt, naturae viribus tantam reperiri poſſe in tàm exquiſitis tormentis ferendis conſtantiam, immò etiam alacritatem: quod ſi in uno, vel altero ob infixam menti perſuaſionem, & corporis robur contingere poſſit, quemadmodum de Paganis ipſis quaedam refert Valerius Maximus Lib. III. Dictorum, Factorumque Memorabilium Cap. 2., & 3.: an idem dicendum de tot millibus Martyrum, de tot invalidis ſenibus, mollibus pueris, teneriſque puellis, de

tot

tot viris, ac foeminis in otio, in luxu, in deliciis nutritis?

Proximum est, ut argumentum diluamus, quod contrà Miracula afferri solet. Miracula non semper fiunt in confirmationem verae doctrinae; ergò nihil faciunt ad evidentiam credibilitatis Christianae Religionis. Probatur antecedens: primò ex illo Matthaei XXIV. *Surgent Pseudo-Christi, & Pseudo-prophetae, & dabunt signa magna, & prodigia; ità ut in errorem inducantur, si fieri potest, etiam Electi.*

Secundo, quia Prophetia est quid, Miraculo majus: sed Prophetiae donum, etiam impiis aliquando contingit, ut de Balaamo testatur Sacra Historia Numerorum XXII.; immò tunc etiam contingere posse, quum falsa praedicant, testatur Moyses Deuteronomii Cap. XIII. *Si surrexerit in medio tui Propheta, aut qui somnium vidisse se dicat, & praedixerit signum, atque portentum, & evenerit, quod locutus est, & dixerit tibi: Eamus, & sequamur Deos alienos, quos ignoras, & serviamus eis: Non audies verba Prophetae illius, aut somniatoris; quia tentat vos Dominus Deus vester.*

Tertio ab exemplis. Magi prodigia fecerunt coram Pharaone. De Miraculis tùm Romanorum, tùm exterorum Gentilium, agit Valerius Maximus per totum Caput VIII. libri I. Uulgata sunt in Romana historia, Tarquinium novacula cotem secuisse. Tucciam Vestalem, aquam cribro portasse. Claudiam Zona magnam navim, in Fidem suae pudicitiae, traxisse, & alia quibus scatent Livius, & Plutar-

 chus.

chus. Vespasianum oris excremento, caecum restituisse, item manu, debilem contactu sanasse, Tacitus refert Lib. IV. Historiarum Cap. 81. De Apollonio Thyaneo, quae non jactit mirabilia Philostratus, ejus vitae Scriptor? puellam Romae mortuam ad vitam revocasse: secreta cordium perspecta habuisse, ut & futurum; linguas omnes calluisse, etiam avium: compeditum se solvisse, & carceri eripuisse; è Domitiani conspectu evanuisse, aliaque his similia; undè Hierocles librum scripsit, cui titulus *Philalethes*: ubi Christo Apollonium opposuit, contrà quem scripsit Eusebius. Denique miracula sua venditant Turcae; non sunt igitur haec veritatis argumenta.

Contra tamen dicendum, ex Miraculis peti maximum rebus credendis subsidium. In hoc enim Christus, se Messiam esse manifestavit, quum interrogatus à Discipulis Johannis, an ipse esset Messias, respondit: *Euntes renunciate Johanni quae audistis, & vidistis. Caeci vident, Claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt.* Tum etiam, quia in hoc Judaeorum contumaciam arguit, quod tot inspectis prodigiis, nihil de pertinacia sua remitterent: ait enim Johannis XV. *Si opera non fecissem eis, quae nemo alius fecit, peccatum non haberent.*

Sed antequam respondeam ad objecta; illud praesupponendum duco, non posse à Deo, vel Miraculum, vel Prophetiam contingere in confirmationem falsi; quod probo. Deus non potest mentiri, quod praeterquam quod est mani-

nifestum ex ipsa idea Dei, patet etiam: quia, si Deus posset mentiri; nunquam deberemus ei firmitèr credere; quia semper possemus rectè dubitare, an tùnc deciperet. Hoc posito, qui miraculum edit in confirmationem erroris, deceptionem alterius mentiendo procurat; paria enim sunt; vel falsum testificari, vel falsum testimonium approbare; undè appositè S. Augustinus Epist. XLIX. inquit: *Sicut humana consuetudo, verbis; ità Divina Potentia etiam, factis loquitur*. Si igitur Deus miraculo, falsam Doctrinam confirmaret; facto ipso mentiretur, quod nefas est dicere.

Nec obstat; quod dicitur Exodi Cap. 1. quod quum Obstetrices Aegyptiae mentitae fuissent Pharaoni in gratiam Hebraeorum, *Deus iis beneficavit, & aedificavit domos*: Si ergò Deus, aliquandò mandacium beneficiis compensat, jam mendacium approbat facto; & sic nulla est repugnantia, cur non possit etiam falsum dogma prodigiis confirmare.

Non, inquam, obstat; nam Obstetricibus benefecit Deus: *non quod mentitae sunt, sed quia in homines Dei, misericordes fuerunt*, ut ait S. Augustinus Lib. contrà mendacium Cap. XV. Distinguendum enim est inter beneficium, quod praestiterunt Obstetrices Hebraeis, non occidendo mares ob timorem Dei, caritatemque proximi; & mendacium coràm Rege prolatum, quod Hebraeorum foeminae nullâ earum ope, sed ab se ipsis parerent: primum Deus benignè muneribus prosequutus est: secundum Deo veritatis, placere neutiquam potuit. Nota autem in

textu : *Et quia timuerunt Obstetrices Deum, aedificavit eis domos* ; quod τῷ eis , non potest referri ad Obstetrices , quia in textu Hebraeo est pronomen masculinum , non foemininum, sed est referendum ad Israëlitas ; ità ut sensus sit : Quum Obstetrices timerent Deum , idest Israëlitarum , non interficiendo masculos , & Deus aedificaret illis, hoc est Hebraeis domos, seù ipsorum familias in dies augeret ; pracepit Pharao omni populo suo , dicens : *quidquid masculini sexus natum fuerit , in flumen proiicite , &c.*

Respondeo , nunc directè ad primum. Surgent *Pseudo christi* , &c. dico : non intelligere Christum vera miracula, quae à Deo tantum fiunt ; sed vel res miras , & insuetas , quae homines in stuporem rapiunt ; sed per magiam naturalem fieri solent , quae tamen vulgus non intelligens miratur , & Deo tribuit ; vel significare prodigia , quae fiunt opera Daemonum,quos multa posse supra humanam naturam ,certum est ex revelatis ; immò etiam naturali lumine credibile est, inter mentes nostras, & Divinam infinitam , esse alias , atque alias sublimiores , & perfectiores , quae plurima intelligant , & possint supra nostrum captum . Sensus igitur Christi est, surgent Impostores, qui multa edent miranda, vel naturali sapientiâ , vel Daemonum potentia, quae tanti esse videbuntur , ut si fieri posset etiam Electos deceptura essent; respiciens fortasse ad Simonem Magum , & alios .

Ad secundum dico : Moysem in illo Deuteronomii loco, non ea mente locutum fuisse, quasi

quasi fieri possit, ut surgat Propheta, & vera vaticinetur, suadens ad Idolatriam; jam enim probavi, hoc Divinae Essentiae repugnare: sed loquitur per enphasim, ut enim confirmaret in Fide Hebraeos, populum scilicet durae cervicis, & ad fabulas, superstitiones, impietatem, quam ad veram doctrinam proniorem: ait, etiamsi surrexerit inter vos aliquis, Prophetam se esse jactans, & aliqua praedixerit, quae deindè eveniant, quod etiam casu contingere potest, si ad Idolorum cultum instiget, hunc ne audiatis; eodem nimirum loquendi genere, quo usus est Paulus ad Galatas I. *Si Angelus de Coelo evangelizaverit vobis, praeterquam quod evangelizavimus vobis, anathema sit.*

Notabilis etiam est in citato Textu, locutio illa Methaphorica: *Quia tentat vos Dominus Deus vester.* Tentat enim, qui aliquid scire desiderat; quomodo igitur Deus, qui omnia novit, tentare homines dicitur? Respondet S. Thomas prima parte quaest. 114. artic. 2. in corpore; quod licèt finis tentantis, sit scientia, non tamen semper fit à tentante, ut ipse sciat, sed aliquando etiam, ut alios scire faciat; & ita Deus tentare dicitur; unde sequitur in Textu allegato: ut palam fiat, utrum diligaris eum. Sic in Evangelio S. Johannis Cap. VI. dicit Christus Philippo: *Unde ememus panes, ut manducent hi? hoc autem dicebat tentans eum: ipse enim sciebat, quid esset facturus;* scilicet, ut exponit Glossa interlinearis, *Fidem illius, de futuro miraculo consulens*; erant enim Christi asseclae modicae Fidei: undè exprobrat eis Dominus, Johannis IV.

Nisi

Nisi signa, & prodigia videritis, non creditis.

Ad tertium respondeo; quod Miracula Ethnicorum; vel sunt omninò ficta; & commentitia, vel mira quaedam sunt; quae vires humanas non excedunt, vel à Deo quidem facta credi possunt; veruntamen non in confirmationem erroris, sed in testimonium alicujus recti facti, secundùm virtutem moralem. Exempla ergò, quod Tuccia aquam cribro portavit, quod Claudia navim ingentem zona traxerit; si vera sunt, non me movent, ut ad aliquam supernaturalem potentiam recurrere debeam: potest enim in aquam aliquid naturalitèr injici, quod statim coaguletur; vel ità spissa evadat, ut non possit per forulos cribri effluere: ut quod acris rigor praestat; id aliquid immixtum facere queat. Fertur & Archimedes effecisse, ut navis pergrandis ab Hierone constructa; quam innumeri homines in mare projicere nequiverant, à solo puero traheretur.

Verùm, si quis Divinam Potentiam advocare prorsus velit, ajo: rectè potuisse à vero Deo fieri, in testimonium pudicitiae Virginum, quae controversiam immeritò patiebantur, non ad Religionem comprobandam. Quis autem credat, Tarquinium Priscum novacula cotem secuisse, ad asserendam vanissimam augurum superstitionem, quae vel ipsis fatentibus Romanis, futilis erat impostura? Undè scitè admodùm Cato, mirari se ajebat; quod non rideret Aruspex, Aruspicem quum vidisset, ut narrat Cicero lib. II. de Divinitate. Verius itaque dicendum, collusionem fuisse (si unquam fuit) inter

Tar-

Tarquinium, & Augurem, ut apud minutam plebem, inanibus observationibus fidem conciliarent.

De duplici Vespasiani miraculo, quid sentiendum sit, paucis exponam, cum Daniele Huetio in Demonstratione Evangel. proposit. IX. Cap. 39. num. 6. Quum Josephus historicus fucum facere Judaeis coepisset, quod Vespasianus esset Messias; inque eam rem Vaticinia quaedam Veteris Testamenti ei accommodasset; eandem fabulam producere conati sunt, adulandi studio, Aegyptii; quumque audissent, Jesum, qui Messias à plerisque habebatur, sputo caecum sanasse, claudos, ac debiles morbo liberasse: duos subornant, quasi unus caecus alter manu invalidus esset: hi Caesarem adeunt: primus, ut oculos sputo aspergat, rogans: secundus, ut pede calcaretur; uterque monitu Serapidis Dei, eà petere affirmat. Reliquum fabulae, nemo melius Tacito nobis aperiet; ait enim; *Vespasianus primò irridere; aspernari: atque illis instantibus, modo obsecratione ipsorum, & vocibus adulantium in spem induci, postremo aestimari à Medicis jubet, an talis caecitas, ac debilitas ope humana superabiles forent: Medici variè disserere; huic non exesam vim luminis, sed redituram, si pellerentur obstantia; illi elapsos in pravum artus; si salubris vis adhibeatur, posse integrari: id fortasse cordi Deis, & divino mysterio, Principem electum; denique patrati remedii gloriam penès Caesarem, irriti, ludibrium penès miseros fore.* Tandem, quum ex compacto eà contigissent, concludit Tacitus: *utrum-*

utrumque, qui interfuere, nunc quoque memorant, postquam nullum mendacio pretium. Haec quicunque secum evolvet, imposturam clarissimè deprehendet.

Quod attinet ad Apollonium, omnes cordati viri, tùm ex antiquis, tum ex recentioribus, putant, Magum fuisse, quo nomine à Domitiano captus, & in carcerem detrusus est. Porrò Philostratus, qui ejus vitam, centesimum post annum scripsit, hunc sibi scopum proposuisse videtur, ut invalescentem jam Christi Fidem, deprimeret: opposito hoc doctrinae Sanctitatis, ac mirificae virtuti fictitio simulacri. Multa autem Philostratus ex historia Christi, in suam Apollonii vitam transtulit, quod non est factis opponere facta, sed Mimum potius, vel simiam inducere. Praeter plurima incredibilia, quae Apollonio hic liber affingit, tot fabulis, ac puerilibus naeniis undique redundat, ut lectione sola, quisque possit stultitiam, & vaniloquium Philostrati manifestè inspicere; inter quae illud eminet, Apollonium animalium voces intellexisse, facultate hac ab Arabibus imbutum, qui vel corde, vel hepate Draconis comesso, futura ex avium garritu praesentiunt. Omnia autem prosequi, praescripta nos brevitas vetat; adiri idcircò poterit, qui cuncta ex integro discussit, Huetius loco citato Cap. CLVII.

Sed indulgentius cum Ethnicis agamus: Admittamus utcumque Miracula, quae ipsi ostentant, modo & ipsi admittant nostra, neque enim aliud aequitas patitur: Jam & numero, & magnitudine superiores sumus; quumque

que possint miracula esse, vel vera, vel apparentia, omnes veritatis circumstantiae, pro nobis stant. Mira edidit Moyses; at longè mirabiliora Christus: ait enim se fecisse, quae nemo alius fecerat; nec aliàs debuissent Judaei Christo potius credere, quam Moysi, nisi eum prodigiis superasset. Praeterea, unde tanta Judaeorum in Jesum invidia, ut in ejus interitum, adeò atrociter conspirarent; nisi ex stupendis factis metuissent, ne totus Mundus post eum abiret? Itaque in Concilio ajebant: *quid facimus, quia hic homo multa signa facit: si dimittimus eum sic, omnes credent in eum*. Johannis II.

Atque hic uberrima sese offert circumstantiarum seges, quae Christi Miracula comitantur. Si res in se spectentur, citrà omnem calumniam, superant hominum vires. Lazarus è mortuis revocatur post quatriduum, non in angulo aliquo, sed coram frequentissima hominum turba, interquos ipsi erant defuncti cognati, ac familiares; quod in filio viduae observatur. Si spectetur modus, planè divinus, non figuris, & susurro magico, sed solo vocis imperio; undè ipsi Judaei, quorum Religio vera, & magna proferebat prodigia, stupore tamen perculsi, dicebant: *qualis est hic, quia venti, & mare obediunt ei*? Matthaei VIII. Quid, quod solo contactu fimbriae vestimenti, fluxu sanguinis liberata mulier? Matthaei IX.; umbra Petri, morbis soluti languentes, Actorum V.

Si personam inspexeris, videas Nazarenum, Filium Fabri vulgò habitum, non potentia saeculi,

culi, non longa cognatione praevalentem; sed opprobrium hominum, & abjectionem plebis, non habentem ubi reclinaret caput: Hujus tamen admirandis prodigiis, victi magna Judaeorum pars, qui alioqui Religionis suae sunt tenacissimi, coacti sunt divinam vim in eo agnoscere, & Filium Dei esse credere. Qua in re illud notandum, quod si Christus magicis artibus prodigia patrasset, ut frigidè primum causari coeperant Pharisaei: *non ejicit Daemones, nisi in Beelzebub principe Daemoniorum*, Matthaei XII.: non destitissent ab ea accusatione, sed nihil in judicio Pilati de ha re objectum; adeò scilicet Christi opera, longè à fraudibus aberant. Quinimmò in tanta accusatorum rabie, ubi, Jesus indefensus, & ne respondens quidem; ex tot oculatis testibus, qui facta ejus redarguere potuissent, vix duo corrupti producuntur, qui Templi destructionem opponerent; tandem sententia discipuli proditoris, ac ipsius conscientiâ Judicis, justus, innocensque pronunciatur.

Atque in hoc, duplex Dei consilium adimpletum esse, cernimus: unum, ut Christus morte sua nos redimeret; alterum, ut in eum homines crederent; factum utrumque: nam & morti traditus; & licet inter iniquos reputatus sit, ipse tamen innocentissimus, nullâ probata culpa: neque enim homines in eum credere, vel debuissent, vel potuissent, si de crimine etiam levissimo convictus fuisset, vel etiam suspectus. Itaque post rem judicatam, frustrà quidquam excipiunt Christiani nominis obtrectatores. Super-

Supereſt validum Chryſoſtomi argumentum in Lib.contrà Gentiles. *Inauditum eſt, & prorſus incredibile, aliquem humanis artibus, ſeù fraude, ſeù ſcientia, ſeù Daemonum afflatu, plusquam quum viveret, poſt mortem potuiſſe: At id in Chriſto obſervatur: vivens enim non multos habuit ſectatores, & vix in Judaea notus videbatur; poſtquam vivere deſiit, magna Orbis pars ad ipſum converſa eſt; ſic enim praenunciaverat: Ego ſi exaltatus fuero à Terra, omnia traham ad me ipſum.*

Inſuper ex deceptoribus, nemo pollicetur aſſeclis ſuis poteſtatem majorem faciendi, quam ipſe fecerit; neque enim poteſt, neque fabulam ſuam ullo modo juvaret; facilè enim ejus ope deſtituti se ipſos proderent, quod ſeductoris conſilium non patitur; oportet enim, ut idem Chryſoſtomus, inquit, probabilia quaedam, & verſutiae, atque artificii plena, & quae deprehendi non facilè queant, commentari. At Chriſtus profusè nimis, Diſcipulis ſuis ſpopondit vim efficiendi mirabiliora, quam ipſe patraſſet, & quidem poſt obitum ſuum: ait enim Johannis XIV. *Qui credit in me, opera, quae ego facio, & ipſe faciet, & majora horum faciet, quia ego ad Patrem vado.* Hoc autem res ipſa comprobat: nam Diſcipuli Chriſto ſuperſtite, vix quidquam aggredi auſi fuerunt, poſt illius mortem omnia audere, omnia perficere: non à Chriſto artem prodigialem, dum in vivis ageret, edocti, nec petierunt, nec petere auſi ſunt; quomodò igitur fabulam hanc continuarunt, poſtquam à Magiſtro defuncto, erudiri nihil potuerant?

fuerant? quis verò de se mortuo, tàm magnificè loqui, ac talia promittere possit, nisi vel Deus, vel demens? At implere nonnisi Deus; Christus igitur Divina virtute manifestè implevit.

Planè nihil constantius in libris sacris, quam, Apostolos ante Christi discessum rusticos fuisse, imperitos, pavidos, haesitantes: Ad ancillae vocem trepidat Petrus, mentitur, pejerat: reliqui, capto Magistro, aufugiunt: qui amantior videbatur sequitur, sed eminus. Mox Coelos petente Domino, callent Scripturas, linguis loquuntur diversis, cum Philosophis disputant, Orbem peragrant, parati ad quaevis pericula, & certae occumbere morti: ergò nisi insanimus omnes, fatendum est cum ipsis maleficis Aegyptiis, *Digitus Dei est hic*; *neque alitèr ea fieri potuisse, quam in manu potenti, & brachio extento*.

Denique recolenda sunt, quae libro I. disseruimus. Omnis Prophetica facultas est à Deo, neque de hac re ambigit quisquam: Libri autem Veteris Testamenti pleni sunt Prophetiis, quibus Messias designatur; sed omnes quotquot sunt antiqui foederis Prophetiae, in uno Christo clarissimè sunt adimpletae, in eum solum quadrant, in alium praetereà neminem, ut accuratè per singula eundo, probat Huetius in Demonstratione Evangelica per totam propositionem IX.; itaque quum Vetus Testamentum, sit praedictionum congeries, Novum verò praedictionum illarum sit resolutio; sequitur, unum per alterum confirmari: qua argumentandi ratione, utitur Origenes Lib. IV. Periarchon Cap.

1. &

1. & Lib. VIII. contra Celsum. Sit igitur hic finis. Vera Religio est, quae res dumtaxat veras ad credendum propositas habet: atqui Religio, quae Christum Messiam esse statuit, & Vetus, Novumque Testamentum ad credendum proponit, vera proponit; Christiana igitur Religio vera est; quod erat probandum.

CAPUT PRIMUM.

De Cultu Religioso.

OMnes homines, qui de Religione rectè sentiunt, Deum *Latria*, hoc est cultu servili adorandum esse concedunt; quippè qui solus est rerum creatarum Dominus, tum ratione creationis, tum ratione conservationis; solus enim Deus propriè est, ut dicitur in Sacris Paginis: *Ego sum, qui sum*: Cetera verò in Deo sunt, & nisi in Deo essent, in nihilum abirent: unde Paulus ad Athenienses: *In ipso vivimus, movemur, & sumus*. Actorum XVII.: & licèt Catholici, etiam Angelis, ac Beatis Cultum tribuant Religiosum, qua de re mox cum Protestantibus pugnaturi sumus; aliam tamen cultus speciem iis accomodant, quam *Duliam* vocant, vel *Hiperduliam*; adoratur enim in Sanctis excellentia aliqua, supernaturalis gratiae scilicet, & gloriae, haec tamen creata sunt, & à Deo in infinitum distant, ideòque adoratio *analogicè* tantum tribuitur Deo, atque aliis; servitus autem soli Deo. Deuteronomii V. *Dominum Deum tuum timebis, & illi soli servies*:

P &

& Apoſtolus I. ad Timotheum I. *Soli Deo honor, & gloria.*

Hinc, licèt apud nos, actus externi adorationis, promiſcuè tàm Deo, quàm Beatis exhibeantur, ut adgeniculatio, vel thurificatio; tamen ſunt quaedam ità Dei propria, ut nullo modo aliis communia eſſe poſſint. Hujuſmodi eſt Templorum Dedicatio: neque enim Veteres, niſi uni Deo Eccleſias dedicarunt; Martyribus verò memorias, tamquam hominibus mortuis, ut tradit Euſebius in Oratione de laudibus Conſtantini ad finem, S. Auguſtinus Lib. XXII de Civit. Dei Cap. 10.: unde differentia inter Eccleſias, & Martyria in L. Generali 13, C. *de Sacroſanctis Eccleſiis*. *Martyria* enim dicebantur Templa, quae Deo in Sanctorum nomine extruebantur; atque ità Sanctis *Templa* tribui dicuntur, ut docet S. Johannes Damaſcenus Lib. IV. de Fide Orthodoxa Cap. 16.

Quae dicimus de Templis, eadem de Altaribus dicta putate, quae Deo dumtaxat erigi poſſunt: idemque de Sacrificiis dictum volumus, ut patet ex illo Exodi XXII. *Qui ſacrificat Diis, eradicabitur, praeterquam Domino ſoli*; voluit enim Deus, cultum ſacrificii ſibi ſoli exhiberi. Quae omnia in Libris de Civitate Dei, paſſim explicat Magnus Auguſtinus; ut lib. VIII. Cap. 27. *Non Martyribus Templa, Sacerdotia, Sacra, & Sacrificia conſtituimus: quoniam non ipſi, ſed Deus eorum, nobis eſt Deus: honoramus ſanè memorias eorum, tamquam Sanctorum Hominum, qui uſque ad mortem ſuorum corporum, pro veritate certarunt, ut innoteſceret vera*

Reli-

Religio. Et infrà: *quaecunque igitur adhibentur Religiosorum obsequia in Martyrum locis, ornamenta sunt memoriarum; non sacra, vel sacrificia mortuorum, tanquam Deorum*. ibidem: *Quis audivit aliquando Fidelium, stantem Sacerdotem ad Altare, etiam super Sanctum Corpus Martyris, ad Dei honorem, cultumque constructum, offero tibi Sacrificium Petre, vel Paule, vel Cypriane?* &c. Similia habet Lib. XII. Cap. 10., & alibi.

De cetero, actus Adorationis exteriores, etiam in sacris, ità confusos legimus, ut non possit evidentèr colligi, an cultus Deo debitus tribuatur creaturis. De Abrahamo enim legimus, quod ut Deum adoraret, *cecidit pronus in faciem*. Genesis Cap. XVII.: sed Capite sequenti; quùm apparuissent ei tres Angeli, eodem modo dicitur adorasse in terram; & Cap. XXIII. *Surrexit Abraham, & adoravit populum Terrae, filios videlicet Heth*. Sola igitur inclinatione voluntatis, & veneratione interiore, Adorationis species distinguuntur.

Quod attinet ad Adorationem Dei, nullum est nobis cum Protestantibus dissidium, nisi de Adoratione Eucharistiae: at quoniam ex eo controversia pendet, an sit merum Symbolum, an Corpus Christi verum; opportunior erit locus, quum de Sacramentis mentio incidet, ea de re disputandi. Illud in praesenti examinandum suscipimus, an adorari Deus possit sub Imagine. Calvinus enim Lib. V. Institutionum Cap. 11. nefas esse, putat, Deo invisibili, & incorporeo Imagines affingere corporeas; & visibiles. Ecclesia verò Catholica ejusmodi Ima-

gines admittit, approbatque: unde Alexander VIII. in Censura Propositionum num. 25. illam notat: *Dei Patris simulacrum, nefas est Christiano in Templo collocare*. Nostrum igitur erit, Romanae Sedis judicium, probatumque Ecclesiae morem, à Sectariorum calumniis vindicare.

PROPOSITIO PRIMA.

Dei Imaginum, licitus est usus.

PRobatur. Deus incorporeus est, tamen ut se hominibus manifestaret, & ad sui cultum alliceret, saepissimè in hominis formam, hominibus sese videndum praebuit. Ita enim visus Adamo, tanquam homo deambulans, Genesis III. Jacobo, Deum vidit innixum summitati scalae, Genesis XXIII.. Moyses posticam Dei partem, hoc est terga, & humeros aspexit, Exodi XXIII. Isaias Cap. VI. vidit Dominum sedentem super Solium excelsum. Daniel capillos Dei canos, describit, & vestem candidam, Cap. VII. Spiritus Dei in speciem Columbae conspectus, dum Christus à Johanne baptizatur, Matthaei IV.: putas ne, eum erasse, qui Deum tunc sub ea forma adoravit? Non ego, non alii, nisi, qui eò impudentiae processerunt, ut velint Dei consilia in melius vertere: cur enim ita apparuit, nisi ita adorari voluit? Ergo rectissimè Ecclesia Imagines illas Imaginibus suis adumbrat; postquam enim Deus, illa corpora assumpsit, ut sui copiam faceret, jam illa simulacra Deum repraesentant; & quemadmodum corpora illa assum-

ſumpta, non erant Deus; adoranda tamen erant, quia Deum referebant; ita & noſtrae Imagines, quae ſpeciem illam referunt.

Reſpondet Calvinus, illas Dei apparitiones in forma hominis, fuiſſe praeludium Incarnationis: Columbam verò ſtatim evanuiſſe, ut oſtenderet, Spiritum Dei inviſibilem eſſe. Sed haec frigida ſunt. Non enim nunc quaerimus, quo fine Deus in forma corporea apparuerit, ſed an in ea forma pingi poſſit. Praetereà, non ſemper viſiones illae fuere praeludia Incarnationis; non enim ſemper apparuit Verbum, quod erat incarnandum, ſed interdum alia Perſona, interdum tota Trias, ut exiſtimat S. Auguſtinus Lib. II. de Trinitate Cap. 11.: figuram Trinitatis eſſe in tribus Viris, qui apparuerunt Abrahamo, Geneſis XVIII.; eos enim allocutus eſt numero ſingulari, *Domine, ſi inveni gratiam in oculis tuis, &c.*: pariterque tres reſpondent, quaſi unus: *Revertens, veniam ad te, &c.*; & infrà dixit Dominus: *Num celare potero Abraham, quae geſturus ſum, &c.*

Quum igitur Scriptura Deo tribuat humanas functiones, ut ſtare, ſedere, ambulare, &c. humana membra, ut caput, manus, pedes, &c. aliaque adjacentia, ut Sedem, Thronum, Scabellum, &c.; non eſt ratio, cur non poſſit deſcribi pictura, qualis depingitur ſcriptura. Sic nonnulla videmus, quae corpora non ſunt, ſed intellectu tantum percipiuntur, tabellis depicta proponi, ut Juſtitiam, Caritatem, Temperantiam, &c.

Neque dicas; ex eo quod Scriptura

 mem-

membra tribuit Deo, nullum inde periculum creari: nam eadem Scriptura alibi docet, Deum esse incorporeum. Cur enim eadem Scriptura, errorem picturae avertere non poterit? Et quemadmodum ex Scriptura discimus, membra, quae Deo tribuuntur, esse *metaphorice* intelligenda in ipsa Scriptura; ità satis est, ut sciamus, etiam in picturis *metaphoricè* accipienda esse. Quare Tridentina Synodus Seff. XXV. in Decreto de *Invocatione Sanctorum*, mandat Episcopis, ut doceant imperitam plebem, non propterea Divinitatem figurari, quasi corporeis oculis conspici, vel coloribus, aut figuris exprimi possit. Sic citrà periculum erroris, X. ferè ab hinc saeculo, permisit Ecclesia Imagines Christi symbolicas in forma Agni, propter illa Johannis verba: *Ecce Agnus Dei*; & Spiritus Sancti in formam Columbae, vel linguarum ignis; laudantur enim in Concilio Nicaeno II. Actione IV., & sequentibus.

Inficiari tamen non possumus, quosdam Pictorum abusus, nostram Religionem, Sectariorum ludibrio exposuisse. Quamquam enim hoc genus hominibus

Quidlibet audendi, semper fuit aequa potestas,

ut ait Horatius; hanc tamen licentiam in rebus sacris, quae aliorum irrisionem provocare potest, refraenare omninò deberent. Quum itaque ausi quidam sint, Sanctam Triadem deformibus modis depingere: vel uni capiti vultum triplicem effingentes, vel duo capita, quae intermedia est Columba; Hinc data occasio Mini-

nistris Hungaricis in opere edito contra Trinitatem Lib. I. Cap. 4., eas Imagines colligendi, & veluti monstra quaedam sui similibus, subsannanda exhibent, easque vocant *Cerebros Geryones, Janos Trifrontes, Idola, &c.* Has autem corruptelas resecare debent Episcopi, quos Tridentinum jubet, ne ullam superstitionem in cultu Imaginum, vel Reliquiarum irrepere sinant: ampliata iis facultate in Ecclesias, etiam exemptas, ne Imago ulla insolita ibi ponatur, nisi ab Ordinario prius approbetur.

Opponit primo Calvinus Scripturas. Exodi XX. ait Dominus: *Non facies tibi sculptile, neque omnem similitudinem*; & infrà: *Deos aureos, & argenteos non facietis mecum*? Et clarius Deuteronomii IV.: *Memento, quod Dominus locutus sit tibi in monte Horeb: vocem verborum audisti, Imaginem nullam vidisti; observa ergo te ipsum, ne fortè deceptus, facias tibi ullam similitudinem*. Isajae XL. *Cur similem fecistis Deum? aut quam Imaginem ponetis ei?* Et Apostolus Actorum XVII. 29. *Non debemus aestimare auro, aut argento, aut lapidi, sculpturae artis, & cogitationis hominis, Divinum esse simile*.

Respondetur; idcircò vetuisse Deum Judaeis usum Imaginum, quia quum rudis esset populus, & ad Idolatriam proclivis, facilè in eam sententiam abjisset, quod Imagines illae perfectam similitudinem formae, & naturae Dei exprimerent; & sic Deum esse corporeum putassent, quales erant omnes Dii Gentium, inter quas versabantur: hominum enim effigies

adorabant, quorum etiam sepulchra ostendebantur. At postquam hujus erroris metus recessit, & persuasum nobis est, Deum esse immaterialem; quid prohibet habere Imaginem, non dicam Dei, cujus nullum verum potest esse simulacrum, sed illius formae, sub qua hominibus se ostendere dignatus est?

Eadem adhibenda est responsio autoritatibus Conciliorum, & Patrum, quas objiciunt. Quum enim S. Augustinus Lib. de Fide, & Symbolo Cap. VII. ait *Nefas esse Deo simulacra collocare*; intelligitur de Imaginibus, quibus veram Dei naturam effingere quis velit; quod sine errore fieri nequit; non autem de similitudine analogica, quae homines obtusos ad aliquam Dei notitiam, cultum, & amorem inducit. Ceterum si aliquam errori, vel offensioni ansam Dei Imagines praeberent; non dubito, quin ab Ecclesia penitus eliminarentur; atque ita excusari posse puto Catholicos quosdam, ut Durandum, Abulensem, Peresium, censentes, Imaginem Dei non rectè fieri, & ab Ecclesia tolerari tantum, non probari.

Secundo opponit locum Johannis IV. ubi Christus ita Samaritanam alloquitur: *Spiritus est Deus: & eos, qui adorant eum, in spiritu & veritate oportet adorare*. Ergo non in re corporea, non in ligno, vel pictura, quae sunt doctrinae vanitatis, ut ait Jeremias Cap. X. *non in simulacris mutis, quae sunt Imagines falsae, & Doctores mendacii*, juxta phrasim Habacuc Cap. II.

Respondeo, totam legem esse inspicien-

dam

dam. Dixerat Christo mulier: *Patres nostri in monte hoc adoraverunt; & vos dicitis, quia Jerosolymis est locus, ubi adorare oportet.* Jesus autem praesentiens, mox cessaturum esse utrumque ritum, hoc est tam Samaritanorum, qui adorabant in monte Garizim, quam Judaeorum, qui adorabant Jerosolymis, respondit: *Mulier, crede mihi, quia venit hora, quando neque in monte hoc, neque in Jerosolymis adorabitis Patrem.*

Hinc bifariam, locus hic exponitur à Sanctis Patribus: uno modo à Chrysostomo, & Cyrillo, qui docent illud, *in Spiritu*, dici ad excludendas caeremonias Judaeorum, quatenùs corporales erant; *in Veritate*, quatenus erant umbrae, & figurae rerum futurarum. Altero modo à Teophylacto, & Sancto Thoma, qui opponunt illud *in Spiritu*, ritui Judaeorum, qui praecipuè externus erat, & corporalis; illud, *in Veritate*, ritui Samaritanorum, qui falsus erat, & erroneus: illi enim & Deum, & Idola simul colebant. Sensus igitur est, ritum Christianorum fore praecipuè spiritualem, & ab omni errore purgatum; sed quemadmodum ritus spiritualis, non excludit caeremonias corporales, quatenus prosunt ad spiritualem cultum promovendum; ità adoratio Dei *in spiritu*, non excludit Imagines, quatenus homines memores faciunt, & quasi monitores sunt spiritualis adorationis.

PRO-

PROPOSITIO SECUNDA.

Angeli Dei, & in se, & in Imagine sunt adorandi.

PRobatur quoad primam partem. Genesis XIX. habetur, quod quum Loth vidisset duos Angelos, ivit obviam eis, *adoravitque pronus in Terram*. Similia de Abrahamo dicuntur, Capite praecedenti. Verum hi textus non adeò sunt expressi: possunt enim Sectarii respondere, Abrahamum, & Loth non cognovisse ab initio eos esse Angelos, sed homines fortasse putarunt, ideoque intelligenda sunt haec loca de Adoratione tantum civili; itaque proferamus autoritates, quae cavillationibus hisce non sunt obnoxiae.

In Cap. XXII. Numerorum scriptum est: *aperuit Dominus oculos Balaam, & vidit Angelum stantem in via, evaginato gladio, adoravitque eum pronus in terram*. Hic certè non prius adoravit, quam Angelum esse cognovit: ridiculum autem est dicere, Angelis deberi civilem cultum, non religiosum. Praeterea in Cap. V. Josue: quum vidisset hic virum stantem nudato gladio, ait: *Noster es, an adversariorum?* qui respondit; *nequaquam, sed sum princeps exercitus Domini*; Et continuò Josue cecidit pronus in terram, & adorans, ait, &c. Ubi manifestè agnoscitur media illa species Adorationis, quam nostri Theologi *Duliam* vocant, quae neque sit

cultus

cultus Latriae, neque cultus merè policitus. Siquidem *Latria*, non fuit, quia non putabat Josue, illum esse Dei ministrum; non cultus civilis, quia non prius adoravit, quam resciviſſet esse nuncium Dei.

Denique, quod rectè egerat adorando, patet; quia non prohibuit eum Angelus ab Adoratione; imò jussit majorem reverentiae modum exhibere, ait enim: *Solve calceamenta pedum tuorum; locus enim, in quo stas, sanctus est*. Sanctus autem non erat ille locus, nisi ob Angeli praesentiam, quia non erat tunc Josue in loco sacro, sed in campestribus Jericho.

Opponunt Calviniani locum Apocalypsis Cap. XIX., ubi de Angelo Johannes loquens, inquit: *& cecidi ante pedes ejus, ut adorarem eum, & dicet mihi, vide ne feceris; conservus tuus sum, & fratrum tuorum, habentium testimonium Jesu*. Nefas igitur est, Angelum adorare, quandoquidem is Johannem prohibuit, ut à re illicita.

Respondetur cùm S. Augustino quaestion. 61. in Genesim, quod Angelus non sinit se à Johanne adorari, ad arcendum errorem; fortasse enim sic apparuit, ut existimarit Johannes esse Christum: dixerat enim Cap. I. *Ego sum primus, & novissimus, & fui mortuus, & ecce sum vivens, &c.*; declaravit autem, se Christum non esse, licèt ejus personam sustinere videretur; itaque quum Johannes se ad adorationem componeret, corrigendus fuit, non propter errorem Adorationis, sed propter Adorationem personae, & errorem qualitatis. De

cete-

cetero anxius sum è Calvinistis scire, quem tunc putabat Johannes eum esse, qui sibi apparuerat? Si Deum; in errore fuit, & ideò reprehensus est: Si Angelum; & tamen adoravit: cur nos reprehendimur, quod ipsum imitamur? Certè scire debuit Johannes, an Angeli adorari possent; & sciebat certè, si scripturae meminerat, ubi Angeli ab Abrahamo, & Loth adorati fuerunt.

Altera est hujus loci interpretatio ex S.Gregorio, Beda, Anselmo, aliisque; quod Angelus non passus est adorari, ob reverentiam humanitatis Christi: nam ante Incarnationem, Angeli se ab hominibus adorari ferebant; post hanc, quum omnes Angeli coeperint hominem adorare in Christo, recusant ab hominibus, sanctis praesertim, adorari. Nos tamen officii nostri memores, eorumque supernaturalem excellentiam intelligentes, & quantum supra nostram conditionem perfecti sint, ab eorum cultu abstinere minimè debemus.

Opponunt praetereà locum Apostoli ad Colossenses II. 18. *Nemo vos seducat, volens in humilitate, & religione Angelorum, quae non vidit ambulans.* Quae verba exponens Theodoretus ait: *morbum hunc adorandi Angelos in Phrygia, & Pisidia longe tempore haesisse, cujus gratia Synodus apud Laodiceam Phrygiae oppidum habita, lege vetuit Angelos orare, & hodie Oratoria S. Michaelis apud illos, & eorum finitimos videre licet.*

Respondet Petavius Lib. II. de Angelis Cap. 10.

10., Verba Apostoli esse intelligenda, juxtà interpretationem Chrysostomi Homilia VI. in dictum Caput; quod ibi refutatur eorum error, qui existimabant, nos non oportere per Christum habere aditum ad Deum, sed per Angelos; ideoque quasi nostrae conciliationi inservissent, & quasi nos ad Patrem adducere: indignum esset majestate Unigeniti, sed majus humana tenuitate; cultum Angelorum simplicioribus persuadebant, ut iis intenderent animum, tanquam iis, qui nos servassent. Hinc ubique Apostolus, quae de Christo dixerat, inculcare studet, ajens: *Per sanguinem Crucis illius reconciliati sumus*, & *pro nobis passus est*.

Theodoretus verò, non damnat Oratoria in honorem S. Michaëlis Deo consecrata, sed tantum ostendit, Regiones illas olim in Angelorum cultum nimium propensas fuisse, quum tot essent ibi vetera monumenta, quae supestitioso quidem cultui jampridem essent dedita: deindè verò ad congruentem cultum transiissent. Sic Romae multa fuere Templa antiquitus Idolis consecrata, quae postmodum abolitâ superstitione, in veri Dei cultum translata sunt, ut *Pantheon*, quod omnibus Diis dedicatum erat, versum est in Aedem omnium Sanctorum; Templum Castoris, & Pollucis, hodiè Sanctor. Cosmae, & Damiani, &c. Si quis igitur ex Templorum frequentia argumentaretur, fuisse Romam divino cultui deditissimam, non idcircò Templorum usum in Christiana Religione damnaret. Concilium autem Laodicense Cap. XXXV, non damnat quamlibet venerationem Angelorum

rum, sed eam, quae Dei propria est, ut ibi: *Quoniam derelinquens Dominum nostrum Jesum Christum, accessit ad Idola, anathema sit*.

Alii putant, Apostolum respicere ad quorundam recentiorum errorem, qui Pythagoricâ, & Platonicâ imbuti doctrina, consueruntt, *Daemones*, sivè *Genios*, ut veteres vocabant, esse partim per elementa distributos, à quibus animalia omnia procreata sint; ita ut nulla mundi pars, sit animae expers. Ad horum cultum, veluti mediatorum inter Deum, & homines instigabant, tum princeps haereticorum Simon, tum Menander, Cerinthus, Carpocrates, aliique harum nugarum architecti, Hinc haereticorum secta, qui *Angelici* dicti sunt; quia in Angelorum cultum inclinati, ut testatur Augustinus haeresi 39., & Epiphanius haeresi 60.: quamquam uterque nihil certi de his, comperisse fatetur.

Sed antequam venio ad probationem secundae partis; supponendum est, veteres Patres in varia fuisse sententia, an Angeli corpus habeant, an incorporei sint. S. Justinus in Dialogo cum Tryphone, putat, Angelos non tantum corporeos esse, sed etiam vesci cibo nobis ignoto, quale fuit manna, quod pluit Judaeis in deserto; idque in Psalmo LXXVII. *panem Angelorum*, vocari. Idem sensit, Angelos à Deo praefectos orbi sublunari, habuisse cum foeminis stupri consuetudinem: in quo etiam errore complures alii ex Patribus versati sunt, ut Clemens Alexandrinus III. Stromateon, Tertullianus de *Cultu Foeminarum* Lib. IV. Cap. 10.

S.Am-

S. Ambrosius in Apologia Davidis Cap. 1. Lactantius, aliique, falsò intelligentes illud Genesis VI. *Videntes filii Dei filias hominum, quod essent pulcrae, acceperunt sibi uxores, &c., unde nati sunt Gigantes.*

Origenes quoque Lib. II. Periarchon Cap. 8. ait: *Angelos constare corpore, sed & animas habere; nàm & mobiles sunt, & sensu rationali praediti.* S. Basilius Lib. de Spiritu Sancto Cap. XVI. ait: *Substantiam Angelorum esse spiritum aëreum, vel igneum.* Cyrillus Alexandrinus Lib. IX. in Johannem, solum Deum incorporeum esse dicit; & ideò circumscribi non posse; cetera verò circumscribi, quia corpora sunt. Caesarius Dialogo I., Interrogatione 48. affirmat, Angelos esse incorpóreos, sed secundum nos, non secundum se, sed esse tenüia corpora, ut fumus, aut ventus; quia distinguit Apostolus Corpora Coelestia, & terrestria. Mitto Hilarium, & Augustinum plutibus in locis, qui licèt alicubi vocet Angelos spiritales; Videtur tamen respexisse ad mentem, quam in Angelis agnoscebat, quae corpus illud aethereum regeret.

Sed & in Concilio Nicaeno II. Actione 5. proponitur, probaturque sententia Johannis Thessalonicensis, quod Angeli incorporei dicuntur, quia non constant permixtione quatuor Elementorum; itàque respectu nostri sunt invisibiles, visi tamen sunt à plerisque, quorum Deus oculos aperuit; ideoque non omninò incorporei, sed aëreae, vel igneae substantiae, ut dicitur Psalmo CIII. *Qui facis Angelos tuos spiritus, & ministros tuos ignem urentem.* E recentio-

tioribus citantur pro ea sententia Eugubinus Lib. VIII. de *Perenni Philosophia* in Cap. 26., & Cajetanus in Cap. II. ad Ephesios . Sed revera loquuntur de *Caco daemonibus* tantum; quemadmobum S. Isidorus Libro I. de *Differentiis* Cap. 12. ait. *Angelos spirituales esse, Daemones aëreo corpore praeditos.*

Oppositum verò, quod Angeli Sancti, sint mentes, corporis expertes, sivè substantiae quaedam intelligentes, innumeri docuere Patres. S. Dionysius Areopagita in Libro de Coelesti Hierarchia, passim: S. Ignatius Martyr in Epistola ad Trallenses: Gregorii duo, Nyssenus, & Nazianzenus: S. Epiphanius; Eusebius Caesariensis: Chrisostomus, aliique. Tum verò Concilium Lateranense IV. sub Innocentio III. in Cap. *firmitèr, de Summa Trinitate*, docet, *Deum ab initio temporis utramque de nihilo condidisse naturam, spiritualem, & corporalem, Angelicam scilicet, & mundanam*. Atque haec sententia hodie est inter Theologos communis.

Ceterum contraria opinio, quae censuit, Angelos vel corporeos esse, vel spiritus corporibus illigatos, non taxatur ut haeretica; teste Petavio Lib. I. de Angelis Cap. IV.; sed tantum haeresi proxima judicatur, quia haec res non adhuc ex professo ab Ecclesia definita est; & licèt Concilium Lateranense citatum, fuerit Oecumenicum, in ea tamen parte non tractat de hac re ex proposito, sed obitèr: Patrum enim mens fuit, definire contra Manichaeos, Deum esse autorem utriusque naturae; Diabolum

bolum autem, ac ceteros Daemones creatos à Deo fuisse natura bonos, sed ipsos per se factos esse malos: hominem vero, Diaboli suggestione peccasse; ideoque nullum esse Genium malum, sivè Deum, mali autorem.

Igitur, neque Concilium Lateranense propriè definivit, *Angelos esse incorporeos*; sed tantum receptam per ea tempora opinionem, obiter intexuit: neque Concilium Nicaenum loco ubi supra, statuit esse corporeos: nam quum lectus esset locus Johannis Thessalonicensis; Tarasius Patriarcha, quid indè sequeretur ità collegit: *Ostendit, Pater, etiam Angelos oportere pingi: nam circumscripti sunt & hominum specie multis apparuerunt*. Sancta Synodus dixit; *etiam Domine*. Hoc ergo Synodus approbat, Angelos esse circumscriptos, & in hominis formam apparuisse, ideoque pingi posse; quod longè diversum est, ac definire, Angelos esse corporeos.

Planè, quod attinet ad rationes, quibus probare nituntur Theologi, Angelos esse corporis expertes, ego nullam convincentem reperio: & miror Dionysium Petavium, virum alioqui peritissimum, contentum esse quibusdam argutiis, non argumentis, praesertim dum de hoc Articulo disputat: Si enim Scripturae locos excutias, nihil certi comperies: quod enim ad Hebr. I., dicuntur Angeli *administratorii Spiritus*, non videtur rem demonstrare; etenim, Spiritus, ob celeritatem vocat Paulus eo loci: Siquidem voce πνεῦμα Graecis significat etiam ventum,

seu aërem velocissime volutantem; quae significatio tum apud Graecos, tum apud Latinos usitatissima est: Affert praeterea Petavius argumentum, quod dici potest suave, Richardi de S. Victore: *Si Daemones corpus habent, quomodo potuit integra Legio ab uno homine exire?* Sed ista argumenta, sunt rem non convincentia; praesertim apud illos Philosophos, qui divisibilitatem materiae in infinitum demonstrari posse, reputant. Quid si negaret quis, omnes homines in Adami semine fuisse? Certe rideret Petavius: at non ita alii, qui explicant, quomodo contineri poterant in semine Adae omnes homines, quos inter, non contemnendus videtur acutissimus Malebranchius.

Probatur secunda pars. Quamvis Angeli sint incorporei, tamen in Veteri Testamento sculpti, & depicti sunt. In Arca praecepit Deus effingi duos Cherubim aureos, Exodi XXV. Cap. 18. Et in structura Templi Salomonis, recensentur duo Cherubim de lignis olivarum, decem cubitorum altitudinis, III. Regum VI.: tum verò crebrò se se conspiciendos dedisse in hominum speciem, sacra testatur historia: eadem igitur ratione, quâ ostendimus, Dei, licèt incorporei, imagines rectè fieri; probatur, Angelos depingi posse, ut Nicaena Synodus probavit. Habent autem ejusmodi Imagines *allegoriam*; pinguntur enim juvenes, ad significandum, vires eorum nullo temporis decursu languescere: alati ad celeritatem ostendendam, quâ Dei jussa faciunt: formosi ob splendorem Divinae gratiae. Vide Dionysium de *Coelesti Hierarchia* Cap. ultimo.

PRO-

PROPOSITIO TERTIA.

Beati sunt adorandi Cultu Religioso.

NE de nominibus quaestio sit; suppono, Adorationem propriè dictam, & quatenùs *Latriam* significat, soli Deo deberi: est enim propriè adorare, ad oram terrae procedere, & osculo attingere; quâ etiam allusione, dicitur *Adoratio*, à Graecis *Proscynesis*. Vel adorare est Sacrificium offerre, Georgicon primo.

Cuncta tibi Cererem pubes agrestis adoret.

Unde *Ador*, & *Adorea*, dicebatur *frumentum*, & *far*, quod in sacris offerebatur, ut notat Cironius I. Observat. 14. Hoc sensu adorari solius Dei est; & facilè concedimus Heterodoxis, Sanctos adorandos non esse; quod autem ipsi contendunt, Cultum Sanctis debitum, esse merè civilem, qualis est veneratio Regis, vel Patris familias; hoc nos acriter negamus; sed eum Cultum Religiosum esse asserimus, licèt infrà *Latriam*.

An autem rectè *Dulia* dicatur; nolo, ut dixi, de vocabulis disputare: scio enim Laurentium Vallam, & post hunc Peresium, Parte III. de *Traditionibus*, Consideratione VII., non probare vocem *Duliae* pro Cultu Sanctorum, quia *Dulia* servitus est; nos autem, non sumus Sanctorum servi, sed conservi, ut Angelus, inquit ad Johannem. Et S. Augustinus

Quaest. XLIX. in Exodum, ait: *tam Latriam, quam Duliam Deo tribui: Latriam ut Deo, Duliam ut Domino*. Utcumque igitur sit, controversia in hoc sita est inter Nos, & Protestantes: an Cultus Sanctorum sit merae urbanitatis, seu cultus civilis, an verò pertineat ad virtutem Religionis.

Probatur autem Catholica sententia. Potest adorari cultu religioso aliquid, quod non sit Deus, dum tamen adoratur in ordine ad Deum; ergo Sancti sunt religiosè colendi. Probatur antecedens ex illo Psalmi XCVIII. *Adorate Scabellum pedum ejus, quoniam Sanctum est*. Hoc autem Scabellum, est Arca Testamenti: nam I. Paralipomenon XXVIII. ait Salomon: *Paravi domum, ubi requiesceret Arca Domini, & Scabellum pedum Dei nostri; quia nimirum super Arca erat Propitiatorium, quasi Sedes Dei, quae tenebatur manibus duorum Cherubim*: Unde in citato Psal. dicitur, *qui sedes super Cherubim.*

Praeterea à Hieronymus in Epistola ad Marcellam, testificatur; ipsam Arcam ab Israëlitis coli solitam, ait enim: *Venerabantur quondam Judaei Sancta Sanctorum, quia erant ibi Cherubim, & Propiatorium, & Arca Testamenti*. Quod idem ex pluribus Scripturae Locis evincitur; Josue III. *Clamant praecones ad Populum Israel, ne appropinquent ad Arcam, sed prosequantur ad distantiam bis mille cubitorum* I. Regum VI. *percussit Deus de Bethsamitis septuaginta de populo, & quinquaginta millia de plebe, eò quod vidissent Arcam Domini:* & II. Regum VI., quum Oza extendisset manum, ut sustineret Arcam labantem, ibi mortuus est: id enim solis Sacerdo-

cerdotibus licebat. Hinc illud Apostoli ad Hebraeos IX. *Pontifex intrat in Sancta, per singulos annos;* scilicèt ob reverentiam Arcae, nonnisi quotannis Summus Pontifex, introibat in Sancta Sanctorum. Quum igitur cultus civilis referri non possit ad rem inanimem, qualis erat Arca; sequitur, cultum illum fuisse religiosum.

Secundo probatur exemplis Sacrae Paginae. I. Regum XXVIII. quum revocasset mulier animam Samuelis, Saul inclinavit se super faciem suam, & adoravit. Et III. Regum XVIII. Abdias dispensator domus Regis, Achab occurrens adorat Eliam; qui cultus civilis dici nequit, quum exhibeatur homini privato, ab uno ex Optimatibus Regni. IV. Regum II. *Videntes filii Prophetarum, quod Spiritus Eliae requieverat in Elisaeo, adoraverunt proni in terram eum.* Danielis II. Nabuchodonosor adorat Danielem; at non ut Deum, ait enim: *Verè Deus vester, Deus Deorum est, & Dominus Regum, & revelans mysteria, quoniam tu aperire potuisti hoc Sacramentum.* Civilem autem cultum quis dicat, qui praestatur à Rege homini captivo? Adoravit ergo religiosè, ut Prophetam, & hominem Deo plenum.

Tertio ex Sanctis Patribus. S. Justinus Apologia II. *Nos Deum Patrem, & ejus Filium; bonorum Angelorum exercitum, & Spiritum Propheticum colimus, & adoramus, verboque, & re, seu veritate veneramur.* S. Athanasius Lib. de Virginitate; ait: *Justum esse adorandum;* & licèt subjiciat: *Non enim eum, sed Deum adorabis, qui illum mittit;* *non ideo sequitur, adorationem non*

referri ad ipsum justum, sed tantum, quòd ratio, cur justus adoretur, sit Deus. Nititur enim Sanctus Pater illis Christi verbis, Matthaei X. *Qui recipit vos, me recipit*; ergò sicut qui recipit justum, eumque alit, dicitur hospitio accipere, & alere Christum; tamen hospitium, & alimenta referuntur ad ipsum justum; ità quum adoratur quidem Deus; sed adoratio ad ipsum justum terminatur. Concordat S. Ambrosius Sermone VI.: *Quisquis honorat Martyres, honorat & Christum, & qui spernit Sanctos, & Dominum.* Et S. Hieronymus Epistola ad Riparium: *Honoramus Sanctos servos, ut honor servorum redundet ad Dominum.*

Item S. Cyprianus IV. Epistolarum V. *Martyrum passiones, & dies Anniversaria commemoratione celebramus.* S. Gregorius Nyssenus, de Theodoreto Martyre loquens, ait: *Nullum Regum, Imperatorum, aut supra modum excellentium hominum, tali memoria celebratum fuisse; ut illum pauperem militem, modo conscriptum tironem, quem Paulus armavit, quem Angeli unxerunt, quem Christus coronavit.*

Denique, ut alios praeteream, Theodoretus Lib. VIII. ad Graecos scribit: *Suos mortuos Dominus Deus noster, in Templa pro Diis vestris induxit, ac illos quidem cassos gloria, vanosque reddidit; suis autem Martyribus honorem illorum dedit.* Ne tamen quis putaret, eodem modo à nobis Martyres coli, atque à Paganis Dii, subdit: *Atqui nos, ò Graeci homines, nec hostias Martyribus, nec libamina ulla deferimus; sed ut Sanctos homines, Deique amicissimos honoramus.*

Et

Et ſanè nulla eſt ratio, cur nos Beatos non colamus, quos Deus ipſe honorat, ut dicitur Johannis XII. *Si qui mihi miniſtraverit, honorificabit eum Pater meus.*

Opponunt primò Calviniani, textus ſupra recitatos ex Deuteronomii Capite VI. *Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſervies;* Et I. ad Timotheum I. *Soli Deo honor, & gloria.*

Reſpondetur, eſſe intelligendos de Cultu *Latriae*, & de ſervitute, quae Deo debetur, ut ſoli Domino: licèt autem Sancti ſint Servi Dei, nihil tamen prohibet, nos majoris ergà Deum ſubjectionis gratia, fieri ſervos etiam ſervorum ejus; ità ut Beati, ſint veluti ſervi ordinarii: nos verò Vicarii, qui ordinariis ſerviamus, & obſequamur, ſed propter communem Dominum. Nonne, qui colimus Principem, colimus ejus Miniſtros? Scriptura igitur nón vetat, quin ſervitutem aliis etiam profiteamur; ſed diversè à Deo. Sic Geneſis XXVII. ait Iſaac ad Jacob: *Serviant tibi populi, & adorent te filii matris tuae.* Hoc modo plura, quae in ſacris Imaginibus pugnare videntur, bono ſenſu intelliguntur, ut Iſajae XLIV. *Ego primus, & ego noviſſimus, & praeter me, non eſt Deus*: ut in Pſalmo LXXXI. *Ego dixi, Dii eſtis*; utrumque verum, ſed ſenſu diverſo.

Hinc vides, quàm pravi Scripturae Interpretes, ſint Haeretici, Paulus ait: *Soli Deo honor, & gloria.* Si ex hoc fiat, neminem praeterea eſſe honorandum; quomodo idem Apoſtolus ad Romanos II. dicit: *gloria, & honor omni operanti bonum*? quid eſt cavillari, ſi hoc non eſt? Anne fe-

rent Protestantes, si quis animam hominis, mortalem esse contendat, propterèa quod Paulus I. ad Timotheum VI. de Deo, inquit: *Qui solus habet immortalitatem?*

Secundo opponunt ex Libro Esther, Cap. XIII.; ubi Mardochaeus noluit se inclinare coram Aman; & rationem reddens, ait: *Timui, ne honorem Dei mei transferam ad hominem, & ne quemquam adorarem, excepto Deo meo.* Praeterea Actorum X. Quum Cornelius ad Petri pedes procidens adoraret, fuit ab eodem jussus, se erigere, illis superadditis: *Surge, & ego ipse homo sum*: Item Actorum XIV. Quum Lycaonii adorare vellent Paulum, & Barnabam, hi conscissis tunicis, exilierunt in turbas clamantes, & dicentes: *Viri, quid haec facitis? & nos mortales sumus, similes vobis homines.*

Respondetur, Mardochaeum recusasse Amano se inclinare, quia quum esset hic superbissimus mortalium, metuit, ne se adorari vellet tanquam Deum: ait enim, se non contumeliae causâ detrectasse cultum civilem: erat enim secundus à Rege, imò, libenter pro salute Israël, etiam vestigia pedum ejus deosculari paratum fuisse; impietatem ergò declinare voluit, ne homini tribueret divinos honores. Quo argumento, non magis Catholicum Dogma pulsatur, quam marmoreae Turres quatiuntur, arundinis ictu.

Ad id, quod addebatur de Cornelio, dico: existimasse Cornelium, Petrum esse Deum, quam ut refelleret praeconceptam opinionem, inquit Petrus, *homo sum*; quorsum enim haec,

si

si ille jam hominem esse, credidisset? Atque haec est S. Hieronymi interpretatio in Libro contra Vigilantium. Chrysostomus verò in eum locum, putat, Cornelium pio cultu Petrum veneratum fuisse; Petrum vero honorem sibi, alioqui debitum, ex modestia tantùm abnuisse.

Ad ultimum, apertior est Scripturae sensus; Paulus enim, & Barnabas cultum à Lycaönibus oblatum mágno conatu respuunt, quia Dii esse, illis videbantur: inque eam sententiam descenderant, quia Paulus claudum natum, verbo fecerat, ut rectus incederet: unde Populares dicere coeperant: Dii similes facti hominibus, descenderunt ad nos: & vocabant Barnabam Jovem, Paulum verò Mercurium, quia ipse erat Dux verbi; Sacerdos quoque Jovis, qui erat ante Civitatem tauros, & coronas ante januas afferens, quum populis volebat sacrificare.

Postremò ad detrahendam Sanctis *Duliam*, nihil facit locus Augustini supramemoratus, Quaest XCIV. in Exodum, ubi ait: *Latriam, & Duliam Deo deberi; illam uti Deo, hanc uti Domino.* Hic enim locus, optimè in Protestantès retorquetur: nam si *Latria* nequit alteri à Deo tribui, quia nullus praeter ipsum est Deus: poterit *Dulia*, & alteri à Deo exhiberi, quia ratio Domini, non est proindè ac ratio Dei incommunicabilis, plures enim verè sunt, ac propriè Domini: licet, quemadmodum specie diversa, est ratio dominii in Deo, atque in aliis: ità *Dulia*, quam Deo profitemur, specie diversa est ab ea, quâ Sanctos veneramur.

PRO-

PROPOSITIO QUARTA.

Imagines Sanctorum Religiosum Cultum merentur.

HIC est lapis offensionis. Nullum est Romanae Communionis Caput, quod tam indignè accipiant *Reformatae*, ut vocant, Religionis Magistri, quam Sanctarum Imaginum cultum. Ajunt, nos ea de re ludibrio esse, vel ipsis Judaeis, qui Christianorum Templa, vocant *domos turpitudinis*, propter Idolatriam, quae in iis exercetur; undè Hebraeus quidam Lusitanus in Amica disputatione, edita anno 1544. illud objiciebat, sic: *Quo jure gloriantur Christiani, quasi Decalogum in pretio habeant, facientes simulacra? primum enim est Decalogi praeceptum, in quo Deus comminatur, se visitaturum iniquitatem in filios, usque ad quartam generationem: Ne facias tibi sculptile, neque omnem similitudinem.*

Hinc Imago Hebraeis dicitur *Phesel*, à verbo *Phasal*, quod est *profanare*, quasi nullum sit certius profanitatis argumentum, quam cultus Imaginum.

Ad haec Muhammedani, Barbari licèt, brutaeque superstitioni devoti, nullas habent in *Moscheis* Imagines; & Christianis proptereà insultant, nostrosque Sacerdotes, *Idololatras* appellant, quod ante Imagines procidant, ut refert Augustinus Thuanus Historiarum Lib. XLIII.

&

& Hugo Linschotensis in Itinerario Indico lib. I. Cap. 24. narrat, quod quum Aetyops Muhammedanos inviseret, eosque percontaretur, cur nulla haberent in Templis simulacra: responsum est, se non ad lignum, & lapides preces fundere, sed coram Deo, qui in Coelis est. Addit Baudierus in Historia Religionis Turcarum Lib. II. Cap. 4. *Credere illos, in die judicii Imagines apparituras, & cultorum suorum animas sibi flagitaturas*. Hoc autem ex Religione, utcumque stolida, laudat Thomas à Jesu Carmelita Lib. X. Conversionis Gentium Cap. 4., ait enim; *habet haec Secta quaedam & probabilia, & laudabilia, Deoque grata, ob quae videtur non sine causa tolerari à Deo; haec enim maximè odit, & detestatur Idolatriam, prorsus adeo, ut nullas vel Dei, vel Angelorum, vel Sanctorum hominum Imagines non solum colat, sed nullo etiam in loco, depingi patiatur*.

Sed & Gentilium Sapientes, Imagines improbarunt. Tacitus de Moribus Germanorum, *Ceterum*, inquit, *nec cohibere parietibus Deos, neque ullam humani oris speciem assimilare, ex magnitudine Coelestium arbitrantur*. S. Augustinus Lib. IV. de Civit. Cap. 19. ex Varrone, refert, Romanos per annos plusquam centum septuaginta, Deos sine simulacro coluisse; quod si adhuc mansisset, castius Diis observarentur; qui enim primi simulacra Deorum Populis posuerunt, eos Civitatibus suis, & metum dempsisse, & errorem addidisse; prudenter existimans, Deos facilè posse, in simulacrorum stoliditate contemni. Plutarchus quoque in Numa

ma scribit, hunc prohibuisse Romanis existimare, Imaginem Dei, aut hominis speciem, aut animalis, habere formam; quod ex Moyse didicisse, censet Clemens Alexandrinus Lib. I. Stromateon; ac primum sub Tarquinio, ex imitatione Graecorum, atque Etruscorum simulacra Urbi illata. Hadrianus etiam Templa ubique Imaginibs vacua, fieri jussit: quae, quod nulla, contrà vulgarem morem continebant numina, *Hadriani Templa* dicebantur, ut testatur Lampridius in vita Alexandri Severi.

Quid igitur mirum, si Protestantes, qui se ad puritatem Religioni afferendam, ad superstitiones omnes averruncandas se factos jactant, omnem Imaginum, non modo cultum, verum etiam usum, in Templis prorsus abhorreant? Ad rem Bellarminus, refert in Praefatione Libri I. de Cultu Sanctorum, quod quum consuetudinem haberet cum homine de Schola Calvini, & ab eo quaereret, quid potissimum ex Catholicis Dogmatibus Calvinianis displiceret, quidvè maximè detestandum arbitrarentur; respondit, *Invocationem Sanctorum, eorumque Adorationem*; quum videatur hominibus mortuis, veluti divinitas quaedam affingi. Sed haec mendacia mox refellemus. Quod attinet ad historiam, licèt ignoratur quisnam fuerit *Iconoclastarum* Princeps, seù quinam primus, sacris Imaginibus bellum indixerit; certum tamen est, post annum septingentesimum, hoc virus palam serpere coepisse. Leo enim Isauricus Constantinopolitanus Imperator, Judaeorum persuasione, primus, Edicto publico jussit, Imagines

è Tem-

è Templis deleri ; & resistentes complures, morte mulctavit : undè *Iconomachi* nomen nactus est . Ejus impietatem secutus est filius, Constantinus Copronymus, sivè *Stercorarius* dictus, quod veluti futurae improbitatis portentum, sacrum fontem, dùm baptizaretur, excremento foedavit. Hic, paternis virtutibus, addidit *Necromantiae* studium, & Nestorianae haeresis professionem : negavit enim, Beatam Mariam esse Deiparam, ut constat ex historiis Zonarae, & Cedreni.

Post annum octingentesimum, quum tantisper conquievisset coeptum adversus Imagines bellum ; instauratum fuit in Oriente à Leone Armenio, Michaële Balbo, & Theophilo Imperatoribus. In Occidente verò Claudius Tauriensis Episcopus, signum contrà Imagines extulit, cujus librum Jonas Aurelianensis Episcopus, scripto confutavit: deindè anno 1372. Joannes Wiclefus coepit veteres cicatrices novis vulneribus rumpere, & Imagines denuò proculcare ; in quo Waldensium insaniam, ut in plerisque aliis sectatus est.

Postremis denique saeculis, quibus jam pudor omnis excussus, & cuncta errorum proluvies ex Inferis, veluti recluso Pandorae vasculo, effluxit. Primus Templa Imaginibus spoliavit, Andreas Carolostadius anno 1522., probante factum Luthero, licèt conditionem improbaverit, quod, non se autore, fecisset, ut testatur Johannes Cocleus in vita Lutheri. Mox Philippus Melanchthon, Zuinglius, Calvinus in sua Institutione passim, aliique ejusdem commatis Novatores. Ve-

Venio nunc ad positionem confirmandam; quod ut commodè, ac distinctè fiat, in duas classes argumenta dividam: primùm enim probandus est Imaginum usus; deindè earum cultus. Probatur primum. Non lex naturalis, non divina, non Ecclesia, prohibet Imagines fieri, neque pictoria, vel sculptoria ars, usquam damnata reperitur in Libris Sacris; immò Exodi XXXI. & XXXV. dicitur, Deum dedisse de Spiritu suo, & sapientia duobus viris ad sculpendum, & excogitandum multa pro ornatu Tabernaculi. Neque Deus alia odisse videtur, quam, quae ad malè, non quae ad benè faciendum invitant; cujusmodi sunt Imagines; quod si Calvinus permittit Imagines Christi, & Sanctorum, Domi servari posse, cur iis ornari Basilicas invidet: nam si privatim habitae, privatorum affectus in Deum, & Sanctos excitant; cur nefas sit, eas in sacris locis exponi, ut publica sint omnibus sanctitatis monumenta?

Praeterea ex antiquis constat historiis, Templa fuisse sacris Imaginibus ornata. Tertullianus Lib. de Pudicitia testatur, in Calicibus fuisse insculptum Christum in formam Pastoris, ovem humeris gestantis. Damasus in vita Sylvestri, scribit, Constantinum in loco Baptismi sui, posuisse Agnum ex auro purissimo: ad dexteram Statuam Christi, ad laevam S. Johannis Baptistae, ex argento ambas: idem in Ecclesia Lateranensi, plures posuit Imagines argenteas Salvatori, Apostolis, & Angelis. S. Gregorius Nazianzenus Epist. XLIX. ad Olympium conqueritur, quod devastanda esset Urbs Diocaesarien-

riensis, ubi Templum, ipse Statuis mirificè exornaverat. Basilius Oratione in S. Barlaam, mentionem facit de illius Imagine in Templo depicta. Gregorius Nyssenus Oration. in Theodorum, meminit ejus Martyrii in Aede sacra figuris expressi, subditque: *Solet enim, etiam pictura tacens in pariete loqui, maximeque prodesse*. Item Pulcheria Augusta in Templo, quod ipsa Constantinopoli extruxit, Imaginem posuit Beatae Mariae, referente Nicephoro Lib. XIV. Historiarum Cap. 2. S. Paulinus in Natali decimo S. Felicis

. . . . sanctasque feramur in Aulas
Miremurque sacras, veterum monumenta figuras.

Idem in Epistola ad Severum conqueritur, quod se cum Sancto Martino in Templo pingi fecisset, rogatque, ut saltem haec carmina adscribat.

Adstas Martinus perfectae regula vitae,
Paulinus, veniam quo mereare, docet.
Hunc peccatores, illum spectate Beati,
Exemplar Sanctis ille sit, iste reis.

Vides quam solemniter mentitur Calvinus, dum Libro I. Institutionis Cap. 11. §. 13. pronunciat, primis quinque saeculis, nullas fuisse in Ecclesia Imagines, quandoque allata testimonia omnia, id tempus antevertunt.

Opponunt adversus hanc partem Calvini asseclae; primo autoritatem Concilii Illiberitani, quod vetustissimum est, Hispaniae habitum ante Concilium Nicaenum. Statuit enim Canone XXXVI. *Placuit picturas in Ecclesia esse*

non

non debere; ne quod colitur, aut adoratur in parietibus depingatur. Ergo primis Ecclesiae saeculis, nullus fuit in Ecclesia Imaginum usus.

Respondet Bellarminus Lib. II. de Imaginibus Sanctorum Cap. 9., Concilium istud, quod Provinciale fuit, & undè viginti tantum Episcoporum; in hoc, ut in aliis plerisque Decretis errasse; nam ob multa crimina, lapsis veniam, etiam in ipso interitu negarunt, ut Calumniatoribus Can. LXXV., Lenonibus Can. XII. Ducenti privignam uxorem, Can. LXVI. & similia.

Petavius verò existimat Lib. XV. de Incarnatione Cap. 14. num. 5., probabilem esse illorum conjecturam, qui dicunt, tempore, quo Synodus Illiberitana celebrata est, raras admodum fuisse in Christianorum Templis, & Oratoriis Imagines, propter recentem adhuc Idololatriae memoriam, ne scandalum fieret Judaeis, quibus Imago nulla permissa est; ut Gentilibus conversis, qui Idolorum simulacris servierant.

Alitèr respondet Vasquez in III. partem quaest. 105. Cap. 2.: in eo Concilio non prohiberi absolutè, ne picturae in Templis essent, sed ne fierent in parietibus, ne vel Paganorum ludibrio exponerentur, vel iis occasio daretur credendi, in Christiana Religione, aequè ac in Gentili, esse simulacra, quibus *Latriae* cultus deferretur; vel quia picturae in parietibus factae, non aequè diuturnae sunt, ac in tabulis: facilè enim illae decrustantur, & foedantur, ideoque viderentur non dignè aestimari,

mari, si in pariete fierent. Hujus rei argumentum est, inquit Vasquez, quod ex antiqua Hispaniae consuetudine, & ejus fortasse Synodi autoritate, in paucis ejus Regionis Templis, Imagines parietariae inveniuntur, praeter S.Chrystophori effigiem; complures verò tabulae depictae, ac Statuae ligneae inauratae, vel coloribus distinctae, in Templorum ornatum comparatae.

Opponunt secundo. S. Epiphanius Salaminae Episcopus in Insula Cypro, Epist. ad Johannem Jerosolymitanum refert, quod dum ipse per vicum quemdam Jerosolymitanae Dioecefeos transiret, vidissetque velum pendens in foribus Ecclesiae, ubi erat depicta Imago, quasi Christi, vel Sancti alicujus, illud discidit, ejusque loci custodes monuit, ut pauperem mortuum eo obvolverent; hoc autem fecisse ait, *quia contra Scripturarum autoritatem est, hominis Imaginem in Ecclesia pendere*. Igitur IV. saeculo, quo magnus ille Episcopus floruit, nondum Imaginum usus in Ecclesia obtinuerat.

Respondet Bellarminus ubi supra; ex communi, & recepta sententia, verba illius Epistolae, suppostitia esse, quod pluribus argumentis confirmare studet: quemadmodum etiam respondet Alanus Copus Dialogo V. Cap. 21.; sed vereor, ne responsio isthaec invalida sit; licet enim in exemplaribus Graecis, Operum, quae Epiphanius scripsit, Epistola illa non reperiatur; extat tamen ejus translatio apud Hieronymum Epist. LX.: quinimmò in Epist. LXIII.

R ad

ad Pammachium, ejusdem mentionem facit. Ut igitur statuamus, Epistolam esse supposititiam, & apocrypham; idem dicendum esset de pluribus Sancti Hieronymi Epistolis: quod quum temerè omninò à nobis pronunciaretur, risum Protestantibus deberemus.

Respondet igitur Vasquez loco citato: velum ab Epiphanio scissum, non exhibuisse Imaginem aliquam, Ecclesiastica autoritate recognitam, neque Christi, aut Sancti alicujus effigiem: talis enim erat, ut eam non discerneret Epiphanius; potius igitur profani hominis fuit à Diacono, vel ab alio, contrà fas, ibi posita. Petavius verò censet; tunc temporis nondum in Cypro, ubi degebat Epiphanius, usitatum istud fuisse, ut Imagines in Ecclesiis hujusmodi imponereutur: quod saeviente per tria priora saecula Infidelium persecutione, in aliquibus Ecclesiis obtinuit. Ceterum absque periculo Fidei, vel morum, potest Disciplina Ecclesiastica mutari, mutatâ ratione veteris disciplinae.

Secunda pars probatur. Sancti sunt adorandi, ex proximè demonstratis; ergò & eorum Imagines: eâdem enim ratione probavimus, Dei, & Angelorum Imagines esse adorandas. Sic adoratur Princeps, & Imago Principis; honor enim Imaginis ad *Prototypum* refertur. Et licèt quidam Principes, statuas suas adorari vetuerint, ut in L. 2. C. de *Statuis*, & *Imaginibus*; & Tiberius, autore Svetonio, Statuas inter ornamenta domorum, non inter simulacra Deorum, poni voluit: posteriori tamen aevo, ut & nostrâ aetate receptum est, Principum effigies magna

gna veneratione cultae fuerunt; quum enim honor, & contumelia hominum judicio aestimetur; obtinuit, cultum, aut contemptum Imaginis, ad rei expressae decorem, aut ignominiam pertinere, L. si quando 15. Cod. de *Operibus publicis*; & violatores Imaginum Principis, tenentur lege Juliâ Majestatis L. qui *Statuas* 6. D. ad Legem Juliam Majestatis. Si igitur Principi debetur cultus civilis, ac propter ipsum ejus Imagini: quum Beatis cultus debeatur religiosus, idem eorum Imaginibus exhibendus erit. Hoc argumento usus est Simeon Stylites in Epistola V. ad Justinianum Imperatorem, quae refertur in VII. Synodo Actione 5.: ubi Imperatorem hortatur, ad animadvertendum graviter in *Iconoclastas*; uti Leges in violatores Imaginum Principis, severè animadvertunt.

Praetereà, si qua est in humanis fides, complura miracula per Sacras Imagines, Deus fieri dignatus est in eorum gratiam, qui illas piè venerati sunt; quorum bona pars leguntur in Veterum monumentis apud citatam Synodum VII. Actione 5., & 6.: inter quae non est praetereundum, quod narrat Eusebius VII. Cap. 18: *Mulierem illam, quae sanguinis profluvio à Christo liberata est, statuam aeneam Salvatori erexisse; quae ipsius historici aetate in Caesarea Philippi visebatur, ad cujus pedes herba germinavit novae, & inusitatae formae; quae ubi adfimbrium pallii excreverat, morborum genus omne curabat.* Atqui, non potest Deus Miracula patrare in confirmationem erroris, ut supra ostensum est; ergò Imaginum adoratio, Deo grata, acceptaque est.

 Inju-

Insuper negari nequit, cultum Sanctae Crucis, apud omnis aevi Christianos fuisse: unde veteres *Iconomachi*, omnibus Imaginibus profligatis, Crucem tamen in Basilicis suis & retinuerunt, & adoraverunt; quorum impietatem recentiores Sectarii praetergressi, eas improbant. At non aliâ ratione Christiani ab Ethnicis *Cruciari* vocabantur, ut Tertullianus notat Lib. I. ad Nationes Cap. 12.: & Rusticus Diaconus Romanus, qui floruit circà finem V. saeculi, in Dialogo contrà *Acephalos*, sic habet: *Clavos, quibus confixus est Christus, & lignum venerabilis Crucis, omnis per totum mundum Ecclesia, absque ulla contradictione adorat*. Eadem autem est ratio de Cruce, ac de aliis.

Denique pluribus Conciliis, haec veritas in Ecclesia definita est, atque error *Iconomachorum* damnatus. Synodus Generalis VII., idest Nicaena II., in hanc rem occupatur tota. Deindè in VIII. Synodo Can. 3. renovata sunt Decreta VII. Synodi. Tum in Concilio Romano sub Gregorio III. idem confirmatum est; & licèt id Concilium Nationale fuerit; frequentia tamen Episcoporum ferè mille, celebratum est. Tempore quoque Stephani Papae, aliud pro eadem re habitum fuit, quorum vestigia pressit Tridentinum Sessione XXV. tit. de *Veneratione Imaginum*.

Contrà secundam hanc partem, opponunt Reformati. Primo autoritates Sanctorum Patrum. S. Irenaeus Lib. I. Cap. 24. inter alios Carpocratis, & Gnosticorum errores, recenset hunc; *quod depictam haberent Imaginem Christi,*

cam-

eamque coronarent. S. Ambrosius in Oratione de obitu Theodosii, sic habet: *Helena Crucem invenit, Regem adoravit, non lignum utique; qui est error Gentilium*. S. Hieronymus in Caput III. Danielis: *Cultores Dei, Imagines adorare non debent*. S. Augustinus Lib. de Moribus Ecclesiae Cap. XXXIV.: *Novi, multos esse sepulchrorum, & picturarum adoratores*.

Respondeo, Irenaei interpretationem petendam esse ab Epiphanio Haeresi XXVII., ubi agit de erroribus Carpocratianorum, & Gnosticorum: ait enim, eos consuevisse Imaginem Domini Jesu, inter Aristotelis, aliorumque Philosophorum Imagines collocatam, adorare, & Gentium ministeria perficere; *erectis enim*, inquit, *his Imaginibus, de cetero Gentilium mores observat*; carpit igitur Irenaeus superstitiosum illum ritum, offerendi Christo profana sacrificia, & locandae ejus Imaginis inter Ethnicorum simulacra.

Sanctus verò Ambrosius, dum scribit, Helenam non adorasse Crucem; intelligit, non adorasse lignum, quasi crederet in eo aliquam esse Divinitatem, ut in illo spem poneret, affectumve locaret; sed ita ut deosculans Crucem, & coram ea procumbens, internum servitutis affectum ad Christum direxerit. Ceterum negari nequit, lignum Crucis ab Helena inventum, maximo ab ea honori fuisse habitum, ut videre licet apud Eusebium in Chronico ad annum Christi 325. Ad Augustini verba dicimus; agere ibi, non de simplici sepulchrorum, & picturarum cultu, sed de superstitiosis illis Festis,

quae convivia apud Tumulos celebrabantur, cujusvis conditionis hominum; quae propter plurima profani ritus argumenta, meritò in Christianorum moribus, damnat S. Praesul. Ceterum, idem non uno in loco, ut II. Confessionum Cap. 2., & Lib. VIII. de Civit. Cap. ultimo, dum agit de iis, qui ad sepulcra Martyrum epulas inferebant, quibus & ipsi, & pauperes vescerentur: licèt hoc factum non approbet, laudat tamen eorum zelum, & intentionem.

Juvat autem, ad pleniorem hujus rei intellectum, animadvertere; morem fuisse priscis Fidelibus, post sumptam Eucharistiam, sobrium convivium in Ecclesia celebrare, potissimum caussa inopum reficiendorum, & dicebatur *Agape*, hoc est dilectio, & caritas fratrum, ut loquitur Cyprianus Lib. III. contrà Quirinum Cap. 3. De his meminit Judas in Epistola Canonica Cap. I. 12. *Hi sunt in epulis suis* (velut est in Graeco textu, in *Agapis* vestris) *maculae convivantes, sine timore se ipsos pascentes, &c.* Omnes autem ibi promiscuè accumbebant, nullo discrimine inter divitem, & pauperem; quod quum non observarent Corinthii, reprehenduntur ab Apostolo I. ad Corinthios XI. Sed quum hoc paulatim in abusum veniret, partim multitudinis insolentiâ; prohibitum est in Ecclesiis fieri. Concilium Laodicense Can. XXVIII., Carthaginense III. Can. 30., & alibi. Priscae autem consuetudinis vestigia, servant hodiè Graeci, qui diè Resurrectionis, peractis Sacris, inferunt in Ecclesiam epulas, & communi-

muniter convivantur, ut refert Georgius Cassander in Liturgiis.

Secundo argumentantur ex Conciliis. Imperante enim Constantino Copronymo, Constantinopoli Synodus celebrata est, à trecentis amplius Episcopis; cujus, ut major autoritas haberetur, totius etiam Orientis accessit consensus: ibi autem decretum fuit, ut ex omnibus Basilicis, ac privatis domibus Imagines Christi, Deiparae, Sanctorumque auferrentur, utque ex Calicibus, sacris vestibus, omnique Ecclesiae ornamento abraderentur; eâ ratione, quia nullus Imaginibus cultus, sine idolatria exhiberi possit.

Respondeo, Satanae Conciliabulum illud fuisse à Stercoreo Imperatore coactum: proponitur, nullam enim in eo partem habuit Romanus Pontifex, neque per se, neque per Legatos: nullus Occidentalium Episcoporum consensus, qui apertè omnes, uno excepto Claudio Taurinensi, huic Pseudo Synodo contradixerunt; imò defuit ex ipso Oriente, praecipuarum Ecclesiarum approbatio, Antiochenae, Alexandrinae, Jerosolymitanae. Modus etiam, quo usi sunt in habendo consessu, satis superque violentiam prodit; neque enim per Encyclicam Epistolam convocati sunt Pastores, ut dictat Conciliorum lex. His rationibus, omnis ei autoritas adempta est in Concilio Nicaeno II, disputante Johanne Diacono Actione 6.

Sed urgent. Imperante piissimo, & Religiosissimo Principe Carolo Magno, celebrata est Synodus Francofurti 300. fermè Episcoporum

rum, quam consultò praetermisit Binius in Editione Conciliorum. Ibi damnata est Synodus Nicaena II., & simul cultus Imaginum rejectus, quippè sic habetur in Canone II.: *Allata est in medium quaestio, de nova Graecorum Synodo, quam de adorandis Imaginibus, Constantinopoli fecerunt, in qua scriptum habebatur, qui Imaginibus Sanctorum, ita ut Deificae Trinitati, servitium, aut Adorationem non impenderent, anathema judicarentur: Qui supra Sanctissimi Patres nostri, omnimodis, servitutem, & adorationem renuentes contempserunt, atque consentientes condemnaverunt.*

Respondet Vasquez; ibi non Nicaenum, sed Constantinopolitanum damnari Concilium, in quo *Iconomachi*, abolitionem Imaginum decreverunt. Sed absurda responsio est; Nam in Francofurtensi, non improbatur Concilium, Imaginum adorationem evertens; sed Adorationem stabiliens: non potuit igitur de Constantinopolitano cogitare, ubi Imaginum cultus oppugnatur. Nec refragatur, quod appelletur nova Graecorum Synodus Constantinopoli facta; nam II. Nicaena, fuit primum Constantinopoli congregata, deindè Nicaeam translata.

Rectius Syrmondus respondet: Francofurtensium Patrum errorem, non juris fuisse, sed facti, eumque duplicem. Primò enim putarunt, II. Nicaenum, non Oecumenicum fuisse Concilium, quum viderent totius penè Occidentis suffragia in eo deesse. II. existimarunt, in Nicaeno adstrui Imaginibus Sanctorum cultum *Latriae*; hoc enim ostendunt, in verbis

supra

supra positis: *Qui Imaginibus Sanctorum, ita ut Deificae Trinitati servitium, &c.* Causam verò errori, praebuit sententia quaedam Constantini, Constantiae in Cypro Episcopi, quae extat Sessione III. ejus Concilii, sed infideliter expressa ex Graeco textu; insinuatum enim est Francofurtensibus, ità pronunciasse Constantinum: *Suscipio, & amplector honorabiliter Sanctas, & venerabiles Imagines, & quae secundum servitium Adorationis, quae substantiali, & vivificatrici Trinitati emitto.* Notat verò Petavius Lib. XV. de Incarnatione Cap. 12. mala fide translatam sententiam à facinoroso aliquo Iconomacho, & Francofurtensibus relatam; sic enim Graeca sonant: *His consentio, & consors sum, suscipiens, & cum honore amplectens Sanctas, & venerandas Imagines, ac Latriae adorationem soli super substantiali, & vivificae Trinitati defero.* Et in hac igitur re, duplici nomine decepti sunt Francofurtenses Episcopi. Primò, quod censuerunt, unius Episcopi sententiam, esse totius Synodi definitionem. Secundò, quod crediderint, Episcopum illum Sanctorum Imaginibus *Latriam* deferendam sensisse: quum verba ipsius, contrarium prorsus demonstrent.

Eadem utendum est responsione ad argumentum, quod peti posset ex Concilio Parisiensi, sub Ludovico Pio anno 824., tricesimum post annum à Francofurtensi: Ibi enim iterum pronunciatum est contra Nicaenam Synodum, quae Imagines adorari jussit, errore non mediocri: *quem*, ait, *partim veritatis ignorantia, partim pessimae consuetudinis usu, in ipsa*

etiam

etiam Italia inolevisse; Consilium denique pandit suum, Imagines ut retineantur, sed ne colantur, aut adorentur. Ex quibus omnibus, Liber conflatus est adversus sacras Imagines, quem pro vero, ac genuino foetu Synodi Parisiensis, adgnoscit Syrmondus Tom. II. Conciliorum Galliae: quamquam in Indice Librorum prohibitorum haec legimus: *Ludovici Imperatoris nomine, liber fictus contrà sacras Imagines*.

Eadem, inquam, responsio: Nam & Francofurtenses, & Parisienses eàdem usque corda aberrarunt, affingentes Nicaeno Concilio, falsum de Latrico Imaginum cultu decretum. Iniquum autem hoc, utcumque fuerit de Nicaenis Patribus judicium; ex illo tamen originem traxit, quod Nicaeni praeceperant, fieri coram Imaginibus adgeniculationes, capitis inclinationes, thurificationes, oscula, & alia ejusmodi honoris signa, quae tunc in Galliis, soli Sanctae Cruci ex antiqua consuetudine exhibebantur, hoc est uni Christo, coram Crucis Imagine. Non distinguentes igitur opportunè inter *Latriam*, & *Duliam*; nec advertentes, quod actus externi Adorationis, plerumque confundi solent: iidemque nunc ad *Latriam*, nunc ad *Duliam* pertinent, & sola mentis directione discriminantur; in eam falsam abjerunt opinionem, quod Nicaeni Patres, *Latriam* Imaginibus statuissent.

Quod attinet ad libros Caroli Magni, quibus Imaginum cultus proscribitur; non dubitat Petavius loco citato, quin vel ipse Carolus sit autor praefationis; vel ex ejus persona, sit ab altero

altero conscripta, ait enim ibi: *in ejus sinu, Regni gubernacula, Domino tribuente, suscepisse*. Vel etiam fieri posse, ut ipse Imperator totum opus composuerit: nam stylus ubique uniformis apparet; neque ulla ratio cogit ad aliter judicandum. Fuit autem hic Liber, vel quod verisimilius est, ejus capitula, sivè summaria missa ad Hadrianum Papam per Angilbertum Abbatem, ut illius judicio, & autoritate corrigerentur, ut testatur ipsa Parisiensis Synodus, in Epistola ad Ludovicum, & Lotharium Imperatores.

Omninò igitur falsum existimo, quod Bellarminus Lib. II. de Imaginibus Cap. 15., eumque secuti Surius, Sanderus, & Alanus Copus; contendunt, hos Libros neque à Carolo, neque Caroli autoritate conscriptos. Refragatur enim tum veterum Scriptorum, ut Hincmari Rhemensis, Concilii Parisiensis, aliorumque; tum exemplarium manuscriptorum autoritas. Praeterea, quum Carolus se autorem profiteatur, ut in Lib. I. Cap. 6. ubi vocat Pipinum Regem, *Patrem suum*, & alibi, ejus rei manifesta proferat argumenta; incredibile prorsus est, extitisse hominem adeò impudentem, & maximo suo discrimine audacem, qui Imperatori fucum faceret, & in re tàm gravi, Augusto imponeret, ejusque nomine abuteretur. Probabilius ergò Petavius opinatur, fuisse opus Caroli mandato, ab aliquo elaboratum; sed quod facilè accidit, mandatarium excessisse mandati fines; undè prodiit, conviciis, ac probris refertum; atrocitèr enim, & procacitèr Nicae-

nos

nos Patres traducit, iis tribuens inscitiam, temeritatem, imprudentiam, & similia.

Ceterum Carolini Libri, quos deinde Apologiâ suâ refutavit Hadrianus Papa, propterea Beatorum Imaginibus cultum Religiosum abnegant, quod eorum autor in eodem errore versaretur cum iis, qui Francofurti, & Parisiis convenerunt, de quo proximè verba fecimus, servili, scilicèt, cultu esse adorandas; sic enim habet Cap. XX. Lib. I.: *Non mediocris est error, quum aliud adoratur Religionis cultu, quàm is, qui dixit, Dominum Deum adorabis, & illi soli servies*. Et Cap. Cap. XVIII. putat, nos spem ponere in Imaginibus, ait enim: *Sicut serpentis inspectione Israeliticus Populus à serpentium morsibus sanabatur: si, qua fortè eis corporis inclementia accesserit, recurrant ad Imagines, &c:* Spei autem objectum solus est Deus, à quo bonum omne descendit, qui vitae, mortisque autor est.

Tùm Cap. XXVII. arguit, autoritate Hieronymi contrà Vigilantium, dicentis: *Quis unquam, o insanum caput, Martyres adoravit?* ergo multo minus Imagines eorum, à Fidelibus adorandae sunt. Nos contrà, quo sensu Hieronymus Martyrum Adorationem abdicat Imaginibus, enixè negamus: putabat Vigilantius, uti Deos, à Catholicis adorari; negat ideò Hieronymus Sancti Adorationem, quia haec propriè sumpta soli Deo debetur, ut supra animadversum est. Concedebat autem illis Hieronymus cultum, *Latria* minorem: ergò qui Imagines *Dulia* colit, Hieronymo non adversatur.

Tertio

Tertio objiciunt celebrem Gregorii Magni Epistolam, lib. VII. Epistolarum 110. ad Serenum Massiliensem Episcopum, qui Imagines Ecclesiae adorari videns, eas fregerat, & ejecerat: ait S. Pontifex. *Et quidem zelum vos, ne quid manufactum adorari posset, habuisse laudamus; sed frangere easdem imagines non debuisse judicamus; idcircò enim pictura in Ecclesiis adhibetur, ut ii, qui literas nesciunt, saltem in parietibus videndo legant, quae legere in Codicibus non valent: tua ergò Fraternitas, & illas servare, & populum ab earum adoratione prohibere debuit, &c.* Itaque consentit Gregorius cum Sereno, ne Imagines adorentur. Vide Gratianum in Canon. *Perlatum, de Consecratione*, distinct. III.

Respondeo, Serenum fregisse Imagines excessu zeli; comperit enim, eas à populo, *Latria* adorari: quippè facilè pietas in superstitionem degenerat, nisi modus servetur. Sic Numerorum XXI. conflavit Moyses, Dei jussu, Serpentem aeneum, posuitque pro signo, ut saucios morti eriperet; fuit proindè servatus, & magno honori habitus. At quum coepissent Hebraei adolere illi thura, quasi Deo; meritò eum fregit Ezechias Rex, ob id à Scriptura laudatus IV. Regum XVIII.: nam licet adolere thura, non sit necessario sacrificium; inter nos enim, non solum Deo, sed & Sacerdoti, & populo, interdum etiam à non Sacerdote adoletur: tamen in veteri lege, videtur pro sacrificio fuisse: solus enim Sacerdos potuit incensum adolere, ut patet ex III. Regum XII., & II. Paralipomenon XXVI. Ce-

Ceterum non oportebat, Serenum Imagines à Templis avellere, ut rectè arguit S. Gregorius; potuit enim, & populum ab errore revocare, & Sanctam supellectilem Ecclesiae servare, docendo, non Adorationem; hoc est *Latriam*, quae solius est Dei, esse illis impendendam; sed inferiorem cultum, qualis tribuitur Beatis; ita ut fungerentur pictura, Librorum vice pro rudibus; & quemadmodum literati Sacrarum Historiarum lectione, ad Sanctorum cultum excitantur; id fieret idiotis, ex picturarum inspectione; *Dulia* enim, non sistit in Imagine, sed ad objectum, seù *Prototypum* transit.

Hanc autem fuisse Gregorii mentem, patet ex illis verbis: *Ostendendum, quia omne manufactum adorare non licet: quoniam scriptum est Dominum Deum tuum adorabis, &c.* Constat etiam ex Epistola LIV. Lib. 7., eum non negasse omnem Imaginibus cultum, nam inquit: *Nos quidem, non quasi ante Divinitatem, ante Salvatoris Imaginem prosternimur; sed illum adoramus, quem per Imaginem aut natum, aut passum, aut in throno sedentem recordamur.*

CAPUT SECUNDUM

De invocatione Sanctorum.

Vigilantius omnium primus, juxtà Bellarminum, Sanctos invocandos non esse, arbitratus est. Wiclefus non illicitum, sed inutile putabat: *Stultitiam enim esse*, ait, *recurrere ad*

ad scurras alicujus Principis, quando ipse Princeps est paratissimus per se audire: vel sectari turbidos rivos, quando fons ipse patet. Dignas, scilicet, autore suo, hoc est impuro, & blasphemo homine, phrases, & similitudines. Ex hoc fonte biberunt Lutherus, Melanchthon, Brentius, & Calvinus, qui Libro III. Cap. 20. vocat Sanctos cum Christo regnantes mortuos, *Larvas, umbras, Colluviem*. Ibidem, Papistas deridet, quod in omnibus vel Litaniis, vel Hymnis semper mortuos orent, nunquam Christum: Frontem hominis! quid aliud agimus, quum dicimus Kyrie, Christe Eleison, quum Patrem de Coelis invocamus? An ullus est Hymnus, qui in Dei gloriam non desinat? an ullae Ecclesiae preces, quae non terminentur per *Christum Dominum nostrum*? oportet sanè haeresim, quum sit Diabolo patre nata, germanam esse mendacii.

PROPOSITIO UNICA.

Sanctorum invocatio, est actus Religionis apprimè utilis.

PRobatur primò. Sancti pro nobis orant; possunt igitur invocari. Probatur antecedens, tum ex Cap. ultimo II. Machabaeorum: ubi in apparitione vidit Judas Oniam Pontificem, & Jeremiam Prophetam orantes pro Populo Judaeorum. Calviniani, ut hoc telum evadant, recurrunt ad veterem cantilenam, quod hi

hi libri non sunt Canonici. Sed praeclusum jam à nobis est hoc effugium lib. I. Tum ex Capite V. Apocalypseos, ubi de vigintiquatuor Senioribus, dicitur: *Prociderunt coram Agno, habentes singuli citharas, & phialas aureas, plenas odoramentorum, quae sunt Orationes Sanctorum*. Tum quoque Petrus Apostolus, sic Fidelibus pollicetur Epist. II. Cap. I. 15. *Dabo autem operam, & frequenter habere vos post obitum meum, ut horum memoriam faciatis*. Denique Ecclesia, est unum corpus; componitur autem ex viventibus, & Beatis. Ad Hebraeos XII. *Accessistis ad Ecclesiam primitivorum, qui conscripti sunt in Coelis*. Membrorum autem ejusdem corporis est, alterum alteri opem ferre; ergò sicuti viventes pro viventibus orant, ità & Beati pro Viatoribus orant. Proindè, si Sancti precantur pro nobis, sunt à nobis invocandi.

Secundo invocantur Angeli; ergò & Beati. Probatur primum, Genesis XLVIII. Jacob benedicens filiis Josephi, inquit: *Angelus, qui eruit me de cunctis malis benedicat pueris istis*, & Job Cap. XXXIII. 23.: *si fuerit pro eo Angelus loquens, unus de millibus, miserebitur ejus, &c.* ergò Angeli, & precantur pro nobis, & exaudiuntur; ac proindè utiliter invocantur: eadem autem est ratio de Beatis; & hi igitur invocandi.

Tertio probatur: invocantur, & cum fructu, viventes justi; ergò à fortiori Beati: primum patet ex I. Regum Cap. VII. ubi filii Israël Samuelem rogant: *Ne cesses pro nobis clamare ad*

Do-

Dominum Deum nostrum, ut salvet nos de manu Philistinorum. Job Capitulo ultimo: *Ite ad servum meum Job, ille orabit pro vobis*; & Apostolus ad Romanos XV: *obsecro vos, fratres, ut adjuvetis me in orationibus pro me ad Deum*; quod saepè repetit in suis Epistolis. Verum igitur primum.

Consequens probatur: vel Sanctorum Invocatio frustratoria est, quia nolunt pro nobis deprecari, vel quia non possunt. Non primum; quia major est Justorum caritas in termino, quam in via; sunt enim (ut ait S. Cyprianus in Sermone de mortalitate) *de sua immortalitate securi, & de nostra incolumitate solliciti*. Non secundum; quia si poterant pro nobis deprecari, quum in terris peregrinabantur, quanto magis nunc in Patria regnantes, id praestare possunt? Si dicas, Beatos nescire, quod ipsos precamur; repono: quomodo sciunt Angeli conversionem peccatorum, ut dicitur Lucae XV: *Gaudium est in Coelo, super uno peccatore poenitentiam agente*; ità scire possunt Beati, quid ab ipsis petamus. Si dicas; per Invocationem Sanctorum injuriam fieri Christo, quasi solus sit invocandus; repono; quod si ità esset, major fieret Christo injuria invocando viventes; quod tamen ex probatis falsum est.

Hoc argumentum, inquit Bellarminus, adversarii nunquam solvere potuerunt. Calvinus enim solum respondet, aliam esse rationem Invocationis vivorum, aliam mortuorum: quia viventes omnes subnixi una Christi intercessione, tam pro se, quam pro aliis Deum rogant,

quia sunt invicem membra, & quia Scriptura hortatur, *ut oremus pro nobis invicem*, Jacobi Cap. V. Verum hoc idem de mortuis dici potest; nam & illi sunt membra ejusdem Ecclesiae, & imò Christo intercessione nituntur; nihil autem sibi, quum non sit opus, sed omnia nobis petunt, & à Deo per Christum petunt.

I. Quarto, probatur usu Veteris Ecclesiae, cujus vox per Concilia loquitur, & Patres. Synodus Chalcedonensis Actione II, *Veritas sic habet; omnes haec ipsa dicimus, Flaviano aeterna memoria, Flavianus post mortem vivit, Martyr pro nobis orat.* Post eandem Synodum extat Epistola Episcoporum Europae ad Leonem Imperatorem, ubi dicitur: *Sanctissimum verò Proterium in choro, & ordine Sanctorum Martyrum ponimus, & ejus intercessione misericordiam, ac propitium Deum habere speramus.* Eadem est definitio VI. Synodi Generalis Cap. VII, ut mittam Provincialia Concilia, Gerundense, Aurelianense, Moguntinum, Toletanum V., & VI. Bracarense, &c. quae omnia vetusta sunt, & ante mille annos celebrata. Mitto Sanctos Patres innumeros, quorum Cathalogum satis longum, profert Bellarminus; ità supervacaneum putem, omnes locos hic recensere.

Sed ajunt Protestantes, morem hunc Sanctorum in Ecclesia, non esse illo saeculo antiquiorem, quo demum haec innovatio facta; quum tamen tria priora saecula, quibus Ecclesiae disciplina purior servata est, nullum appareat vestigium invocationis Sanctorum.

Verum

Verum exceptio ista, apertè rejicitur autoritatibus Patrum, qui ante IV. saeculum vixerunt. Omisso autem Dionysio Areopagitâ, qui multis, & nostrae, & Reformatae communionis supposititius videtur, educimus S. Irenaeum Lib. V. adversus haereses, qui Virginem Mariam, *Advocatam*, appellat: S. Athanasium, qui Sermone in Evangelium de Annunciatione, saepe Mariam deprecatur, ejusque intercessionem implorat. Nazianzenum Orat. XVIII. in Cyprianum, ubi narrat, quod quum Justina Virgo, à Cypriano Mago, Daemonum opera, ad stuprum sollicitaretur, Virginem Mariam supplex exoravit, obsecravit, ut periclitanti opem ferret, & *vicit Virgo, vincitur Daemon*. Contigit autem hoc antè II. saeculum, quo Gregorius scripsit. S. Cyprianum jam suprà indicavimus: Origenem, aliosque, ne longum faciamus, relinquimus.

Nunc ac Haereticorum argumenta solvenda accedimus, quorum duplex est genus, unum quo probare conantur, Sanctorum Invocationem malam esse, alterum quo inutilem. Primi generis primum, hoc est. Illum invocare possumus, in quem credere debemus, juxtà illud ad Romanos X. *Quomodo invocabunt, in quem non crediderunt?* atqui credimus in solum Deum, ut in Symbolo nos docet Ecclesia; ergo solus Deus invocandus, etsi Sancti invocentur, jam efficientur Dii.

Respondeo; Invocationem esse duplicem, una, qua invocatur primus, ac summus bonorum autor, & haec ad unum Deum refertur,

ex Apostoli sensu, qui proximè dixerat: *Quicumque invocaverit nomen Domini, salvus erit: salvi autem sumus, solum per Deum, & Jesum Christum*: Altera est, quâ quis tanquam deprecator; & haec ad omnes justos, etiam viventes dirigi potest, ut demonstratum superius; alioqui argumentum probat nimis: ità dicimus habere Fidem in Deum, quod omnia possit; in Sanctos, quód apud Deum multum possint. Idem Paulus ad Philemonem: *Gratias ago Deo meo, audiens caritatem tuam, & Fidem, quam habes in Domino Jesu, & in omnes Sanctos.*

Secundùm. Non sine contumelia nominis Christi est, alium interpellare apud Deum Mediatorem: ait enim Apostolus I. ad Timotheum II. *Unus Deus, unus est Mediator Dei, & hominum, Homo Christus Jesus.* Atqui Beatus, quum invocatur, *Mediator* constituitur apud Deum: est enim *Mediator*, qui pro aliquo orat, & intercedit; ergò Sanctorum Invocatio, Salvatori nostro, injuria est.

Respondeo; Mediatorem primarium unum esse, Christum, qui, ut ibidem subjicit Paulus: *Dedit redemptionem semetipsum pro multis, cujus intercessio nititur merito suo*: Sanctos verò, sivè viventes, sivè beatos dici Mediatores inferioris Ordinis; quum enim pro nobis orant, offerunt Deo ipsa merita Christi; merita enim Sanctorum nihil aliud sunt, nisi effectus, & participatio meritorum Christi. Quòd si Mediatoris nomen Protestantes offendit, de voce non altercabimur; modo statuamus, Sanctos intercedere pro nobis, ac deprecari. Admonendi tamen

men sunt, non abhorrere sacras Scripturas, nomen *Mediatoris*, etiam aliis à Christo tribuere. Sic Deuteronomii V. ait Moyses: *Ego sequester, & medius fui inter Deum, & Vos in tempore illo.* Et ad Galatas III. ait Apostolus: Legem ordinatam fuisse per Angelos in manu Mediatoris, hoc est Moysis. Denique S. Augustinus duplicem hanc Mediatoris speciem distinguit, Tractatu I., in I. Johannis Epistolam; Pensitans enim verba illa: *Et si quis peccaverit, Advocatum habemus apud Patrem, Jesum Christum*, ait: *Ergo Sancti non petunt pro nobis? Ergo Episcopi, vel Praepositi non petunt pro populo? Sed attendite Scripturas, & videte, quia & Praepositi commendant se populo; nam Apostolus dicit plebi: Orantes simul, & pro nobis: Orat Apostolus pro plebe, orat plebs pro Apostolo, invicem pro se omnia membra orent, caput pro omnibus interpellet.*

Tertio: quum peterent à Domino discipuli, *Doce nos orare*, Matthaei VI., ait Christus: *Orantes, nolite battologizare, ut faciunt Gentiles: sic ergò vos orabitis, Pater noster, qui es in Coelis, &c.* ergò impium est, alios praeter Deum, invocare.

Respondeo: Christum ibi stultas reprehendere Ethnicorum preces, quae in battologia, & multiloquio positae erant, quod & usitatum fortè fuit in Liturgiis Pharisaeorum, ut sentiunt Expositores; putabant enim, multum pietatis, ac zeli inesse illis repetitionibus, citiusque eas preces audiri. Dominus igitur Apostolos docuit, non quis sit orandus; sciebant enim, solum Deum adorandum esse, bonorum omnium

Largitorem, sed quae res, & quo ordine petendae sint; quum enim Pagani non aliud peterent, quam bona temporalia, & saepè, quae sibi nocitura potius essent, quam profutura, ut ostendit Plato in Alcibiade II., & Juvenalis Sat. X.

Evertere domos totas, optantibus ipsis
Dii faciles, nocitura toga, nocitura petuntur,
Militia, & torrens dicendi copia, &c.

Praescribit Salvator; primum ea esse petenda, quae ad Dei gloriam pertinent; deindè, quae ad nostram aeternam salutem, postremò, quae ad vitam servandam. Haec igitur Orationis Dominicae formula, contrà Sanctorum intercessionem, nihil facit.

Secundi generis argumenta sunt. Primum. Nullâ vel Scripturâ, vel Traditione, vel Ratione probari potest, Sanctos in Coelis agentes, scire quid à nobis petatur; absit enim, ut animis Beatorum omnipraesentiam adscribamus; in quam sententiam dilapsus videtur Hieronymus Lib. contrà Vigilantium, ubi scribit: *Sequuntur Agnum quocumque vadit: si Agnus ubique, ergo & hi, qui cum Agno sunt, ubique esse credendi sunt. Absentes igitur, qui nosse poterunt, quis oret, quidve petat?* Hinc S. Augustinus in Libro de Agenda Cura pro mortuis apud Gratianum in Canone *Fatendum* Causa XIII. quaest. I., ait: *Mortuos nescire, quid hic agatur, nisi ab aliis ex vita migrantibus didicerint, quantum isti meminerint, vel intelligere ab Angelis, qui rebus, quae hic aguntur, praestò sunt.* Consonat

nat illud Ecclesiastae Cap. IX. *Mortui nihil noverunt amplius*. Invocare igitur Sanctos, est canere surdis.

Quidam respondent; Sanctos cognoscere preces nostras, si non in specie, saltèm in genere: nam experientia didicerunt, solere fideles Beatorum opem implorare, haec autem scientia sufficit, ut pro nobis orent: quemadmodum Ecclesia in terris orat pro omnibus defunctis, licèt nesciat, an semper precibus sit locus, quod confirmat autoritate Augustini loc. cit. Sed haec responsio infirma videtur: si enim in genere tantùm, pro viventibus deprecantur, jam Invocatio inutilis est: cur enim invocandus sit beatus, vel unus potius, quam alter, si aequè pro omnibus, sivè invocatus, sivè non invocatus orat?

Alitèr igitur respondeo: Sanctos, etiam in specie, cognoscere preces nostras, etiam quas merâ cogitatione fundimus; non quasi omnipraesentes sint, vel scrutatores cordium, haec enim ad Deum solum pertinent; sed quia omnia vident in Verbo, à principio suae Beatitudinis, ut docet S. Gregorius Lib. XII. Moralium Cap. 14. illis verbis: *Qui Omnipotentis Dei claritatem vident, nullo modo credendum est, quia foris sit aliquis, quod ignorant*. Idemque S. Thomas confirmat III. parte quaest. 10. artic. 2. ibique Cajetanus. Alioqui, si Beati indigerent revelatione Dei ad agnoscenda ea, quae in terris fiunt; maximè verò, si in intimo cordis proferuntur, ut accidit Prophetis; non posset Ecclesia tàm fidentèr Sanctis dicere, *orate pro nobis*; sed

Deum orare deberet, ut preces nostras Sanctis revelaret; facit Ambrosii locus in Lib. de Viduis Cap. IX. *Isti enim*, inquit, *sunt Dei Martyres, nostri Praesules, speculatores vitae, actuumque nostrorum*; Et I. ad Corinthios IV. *Spectaculum facti sumus Mundo, & Angelis*. Eadem autem est ratio de Angelis, ac de Beatis; si igitur Angeli conscii sunt actionum nostrarum, conscii erunt & Beati.

Secundum argumentum. Caritas Dei infinita est, adeòque incomparabilis cum Sanctorum caritate; plus ergò nos diligit Deus, quàm ullus Sanctorum. Praetereà nihil est animae nostrae conjunctius, quàm Deus: & ut ait S. Augustinus in Lib. de Genesi ad literam: *arctior est conjunctio inter animam nostram, & Deum, quam inter animam nostram, & corpus*; est igitur Deus in nobis, quo nemo non citius audit, nemo libentiùs exaudit: ergò Beatos invocare diffidentis est, & injurium Divinae Benignitati.

Accedunt Scripturae loca. Lucae II. *Petite, & accipietis*. Johannis XVI. *Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis*. Apostolus ad Hebraeos IV. *Accedamus cum fiducia ad thronum gratiae ejus*. Item SS. Patres. Ambrosius in Cap. I. ad Romanos 22. *ideo ad Regem per Tribunos, aut Comites itur, qui homo utiq; est Rex, & nescit quibus debeat Rempublicam credere: ad Deum autem, quem utique nihil latet (omnium enim merita novit) promerendum, suffragatore non opus est, sed mente devota. Ubicumque enim talis loquutus fuerit ei, respon-* debit

debit illi. Et Chryfoftomus in Homilia de Profectu Evangelii ait: *Non opus tibi patronis, apud Deum; fed licet folus fis, patronoque careas, & per te ipfum Deum preceris, omninò voti compos fias; neque enim tam Deus facilè annuit, quum alii pro nobis orant, ut quum ipfimet oramus, etiamfi plurimis pleni fimus malis.*

Refpondeo; hoc argumento probare tantum, poffe nos rectè Deum adire, at non ideo Sanctorum interceffio erit inutilis: fi enim interceffio viventium utilis eft, nulla ratio perfuadere poteft, Beatorum inutilem effe. Et licèt Deus fit femper paratus nos audire, & nos diligat praeter omnes Sanctos; magis tamen illos diligit, ipfofque audire paratior eft. Oratio enim ut impetret, requirit difpofitionem in orante, quam non femper habemus. Hinc illud Johannis IX.: *Scimus, quia peccatores Deus non audit*. Utilius igitur eft, ad Deum cum Sanctis, quam folos accedere: fic Job Cap. ultimo, Deus ipfe, ait: *Ite ad fervum meum Job, ut oret pro vobis*. Genefis XX. Quum abftuliffet Abimelech Saram Abrahae uxorem, ait ad eum Dominus: *Redde viro fuo uxorem, quia Propheta eft, & orabit pro te, & vives*. Ezechielis XXII. 30. *Quaefivi de eis virum, qui interponeret fepem; & ftaret contrà me pro terra, nè diffiparem eam, & non inveni.*

Oppofitae verò Scripturae autoritates, nullam vim faciunt adverfus Catholicum Dogma: nos enim petimus à Patre per Chriftum, & cum fiducia ad Thronum ejus accedimus; fed unà cum Sanctis, quorum caritas perfectior eft.

Omnis

Omnis enim oratio, inquit Augustinus in Psalmum 108., *quae non fit per Christum, non solum non potest delere peccatum, sed etiam ipsa fit peccatum*. Ecclesia igitur, quae Sancta est, & Sancti ipsi, non nisi per Christum orant.

Ad Ambrosium respondeo: non esse opus suffragatore apud Deum, quia non est necessaria intercessio; malè autem inferas, eam non esse utilem. Ita se explicat idem Ambrosius in Lib. de Viduis Cap. IX., inquiens *Obsecrandi sunt Angeli pro nobis, qui nobis ad praesidium dati sunt: Obsecrandi Martyres; possunt enim pro peccatis rogare nostris, qui proprio sanguine, etiam si quae habuerunt peccata, laverunt*.

Ad Chrysostomi autoritatem, respondet Bellarminus; quod ibi reprehenduntur illi, qui pro se non orant, sed tantum aliorum orationes petunt, largientes pauperibus eleemosinas, orent pro ipsis, quibus anteponit eos, qui orant pro se, licèt aliorum orationes non exquirant; optimi autem illi, qui & pro se orant, & aliorum preces implorant. Idem Chrysostomus Homilia prima in I. ad Thessaloni censes: *Nec Sanctorum preces contemnamus, neque totum in illas projiciamus*.

Tertium argumentum. Multi invocantur Sancti, qui nusquam fuerunt, v. gr. Ursula cum undecim millibus Virginum, quam historiam, non solum Protestantes exibilant, sed quidam etiam ex Catholicis. Catharina, cujus legendam nonnulli Pontificiorum in dubium revocant, ut testatur Georgius Cassander in Scholiis ad hymnum ejusdem S. Virginis. Veronica, cujus sup-

suppositium nomen emersit ex corruptela illorum verborum, *Vera Icon*, ut inter alios opinatur Navarrus. Alii etiam proferuntur Sancti, qui nunquam in rerum natura fuerunt, sed ex Parabola aliqua, *mythologiâ*, *vel emblemate*, in historiam migrarunt; veluti Christophorus, quo significatur *verus Christianus*, *Christum portans per tempestates hujus mundi*: An enim fuerit Gigas, dubitat ipse Baronius in Martyrologio 21. Julii. Idem ad 23. Aprilis, ait: *picturam S. Georgii, potius Symbolum videri, quam historiam*: fortasse ex illo I. ad Corinthios III.: *Dei agricultura* (Graecè est Georgion) *estis*; significat Christianum hominem, Diabolum expugnantem. Alii putant, originem erroris trahi à Georgio Cappadoce Ariano, pro vero Martyre culto, cujus acta, apocrypha pronunciavit Gelasius Papa, in Cap. *Romana* distinct. 15. *Passio Georgii apocrypha*. Similia canunt de S. Agnete, Margarita, Petronilla, Lazaro, Longino, Rocho, Septem Dormientibus, &c.: ergo Invocatio Sanctorum superstitiosa est.

Respondeo; quod licèt concedamus, paucorum Sanctorum historias apocryphas esse; pravi tamen animi est, eam ob caussam, omnibus Sanctis honorem detrahere; quasi ob pauca lolia, velit totam messem incendere. Sunt enim, quorum beatitas, non tantum sinceris narrationibus, sed ex ipsis Sacris literis proditur, ut de Beata Maria, Johanne Baptista, SS. Apostolis, Stephano, &c. Habent igitur, quot colant, invocentque; etiam si fastidiant Georgium, Christophorum, Catharinam.

Sunt

Sunt tamen, non diffiteor, quidam in Sanctorum invocatione abusus, quos hic recensere, pretium est operae, ad obstruenda Calvinistarum ora; primus est, petere aliquid à Sanctis, ut tanquam autores Divinorum beneficiorum, gratiam, vel alia ad beatitudinem conducentia, nobis largiantur. Contrà enim Scriptura docet: gratiam, & gloriam dari à Domino, Psalmo 83. Auxilium nostrum venire à Domino, qui fecit Coelum, & Terram, Psalmo 120. *Omne datum optimum, & omne donum perfectum desursum est, descendens à Patre luminum*, Jacobi I.: qui igitur à Sanctis, ut boni autoribus quidquam expectat, illud, veluti à Diis impetrare studet.

Sanè verò in Hymnis, aliquando diversè canere consuevimus, ut in quo Deiparam alloquimur: *Tu nos ab hoste protege, & hora mortis suscipe*; Sed hoc est intelligendum, orando pro nobis, tuaque pro nobis merita, & preces offerendo. Ceterum non possum Bellarmino connivere, dicenti: *in hoc non esse curandum de verbis, sed de sensu verborum; ideoque licere his verbis uti, Sancte Petre misere mei, vel salva me*. Contrà enim; nam licet rudes, & imperitos inter haec non distinguentes ita, loqui patiamur; cur tamen rerum intelligentes, ad hunc modum ineptire velint, cum tanta haereticorum offensione? aut qui erit abusus, si hic non est? Sensus non est licitus, verba sensum illum exprimentia licita sunt, & sic aliud in ore, aliud in corde. Saltem igitur, ad declinandas Etherodoxorum criminationes, oportet castigatè loqui, & verbis, à sensu non discrepantibus.

Se-

Secundus abusus est credere Sanctos esse immediatos intercessores nostros apud Deum: quidquid enim impetrant, per Christum impetrant, solus enim Deus est, à quo bona petuntur, solus Christus, per cujus merita petuntur., Sancti verò ea per Christum petant, & sic idem quod nos facimus, faciunt, sed efficacius, ideoque utilius. *Unus enim Jesus est, Propitiatio pro peccatis nostris, pacificans per sanguinem Crucis suae, quae in Terris, & quae in Coelis sunt*, ut loquitur Apostolus. Hinc est, quod in Evangelio, Christus dicitur, *Ostium, & via*: quia, ut ait, *nemo venit ad Patrem, nisi per me*. Et appositè S. Ambrosius in Lib. de Isaac Cap. VIII. inquit: *Ipse Christus est os nostrum, per quod Patri loquimur; oculus noster, per quem Patrem videmus; dextera nostra, per quam Patri offerimus*.

Tertius omnium deterior est abusus; quod segnior vulgi pars, persuasum habet, ob cultum huic, vel illi Sancto impensum, non posse ex hac vita sine poenitentia migrare: omnia scelera conciliari posse signis quibusdam exterioribus, in quibus, velut amuletis, spem locant, de moribus, eorumque regula, parum alioqui solliciti. Qui sic insaniunt, bonam mentem optamus. Vae autem Prophetis insipientibus, *qui vident vana, & divinant mendacium, dicentes, ait Dominus; quum Dominus non miserit eos*: utar verbis Ezechiels Cap. XIII: quae enim fiducia in Imagine, vel spherulis precatoriis, non sine reconciliatione decedendi, ubi de reconciliatione parum, vel nihil in vita quis cogitarit? Quum Deus intonet: *in interitu vestro ridebo*,

debo, & subsannabo vos; & gravissimè S. Augustinus in hanc rem, Sermone LVII. de Tempore: *poenitentia, quae ab infirmo petitur, infirma est: quae à moriente tantùm petitur, timeo, ne & ipsa moriatur.*

In hanc corruptelam, plura invehuntur Concilia, quae post Tridentinum habita sunt; tum in Galliis, tùm alibi. Juveninus citat Cameracensem Synodum tit., de Sanctis Cap. VI., ibi: *Doceatur populus, preces Sanctorum admodum utiles esse ad impetranda, non modò corporalia, & temporalia, sed & spiritualia, & aeterna: sed tamen abominandam esse eorum vanitatem, & superstitionem, qui certò pollicentur, non ex hac vita migraturos sinè poenitentia, ac Sacramentis eos, qui hunc illumve ex Divis coluerunt, qui securitatem in rebus agendis, fortunae certum, aut optatum eventum eisdem promittunt, & si quae alia ejusmodi proferantur, & credantur: veluti illud quoque reprobandum est, si qui certo numero, praescriptaque Missarum forma aliqua, aut precum affirmant, certas, designatasque animas è Purgatorio semper liberari: invocare igitur Sanctos inutile est, nisi eorum vestigia sequamur.* S. Augustinus Serm. XXX. *Martyres honorare, & non imitari, nihil aliud est, quam mendaciter adulari.*

Quae diximus de Sanctis, intelligenda quoque sunt de Beata Virgine, licèt enim speciali cultu, qui dicitur *Hiperdulia* super omnes Sanctos sit colenda; abstinendum tamen est ab iis actibus, qui proprii sunt Divinitatis. Sit in honore Maria: Pater verò, Filius, & Spi-

ritus

ritus Sanctus, adoretur. Multa circà haec calumniantur haeretici, praesertim verò, quod in quarundam Ecclesiarum precibus, Christus Mariae subjicitur, his verbis: *Roga Patrem, jube Natum, jure Matris impera Redemptori.* Sed citantur haec ex libro Pelharti de Temsuar, qui fabulis scatet totus: Quod si usquam ità oratur, abusus est; posse autem in preces irrepere etiam, quae sint contrà Christifidem, animadvertit rectè De Neerkassel Castoriensis Episcopus, & Vicarius Apostolicus apud Batavos in suo Tractatu de *Cultu B. Mariae*; idcircò preces quotidiè emendantur, curà Sacrae Rituum Congregationis. Prodiit etiam Lovanii liber anno 1673., cui titulus: *Monita salutaria B. Mariae Virginis ad Cultores suos indiscretos*; in cujus defensionem Episcopus Tornacensis, edidit Literas Pastorales.

Non tantum autem abusum, sed Idololatriam esse, dicunt Protestantes, vota Sanctis nuncupare, quia votum, juramentum, & Sacrificium, sunt actus *Latriae*; & soli Deo debentur, ut passim in Scripturis: *Reddite vota vestra Deo*. Sed immerito ista opponuntur, respondet enim S. Thomas secunda secundae, quaest. 88. artic. 5. *Vota, quae fiunt Sanctis, vel Praelatis, includere duas promissiones, unam, quae fit ipsis, quae non est votum, sed materia voti; alteram, quae fit Deo, quae propriè votum est*; undè, quum voveo peregrinationem S. Jacobo; promissio Apostolo facta, non est votum; votum autem est promissio, quam Deo facio, de adimplenda promissione facta Apostolo. Quum enim

enim vota plerumque fiant ob acceptum beneficium; cujus autor Deus est; intercessor verò Beatus; sequitur, votum referri ad Deum, ut principium omnis boni, & hic est actus *Latriae*; ad Sanctum verò, ut intercessorem, per quem beneficium consequimur, & hic est actus *Duliae*. Plura sunt Patrum testimonia, quibus vota Sanctis nuncupantur, videnda apud Bellarminum Libro III. de Cultu Sanctorum Cap. 9.

CAPUT TERTIUM

De Canonizatione Sanctorum.

QUam Graeci *Apotheosin*, Ecclesiastici Scriptores *Canonizationem* vocant. Est autem publicum Ecclesiae testimonium de vera Sanctitate, & gloria hominis defuncti. Ex quo autem in Cathalogum Sanctorum quis relatus est, potest ei Festus dies indici, Templum Deo erigi, vel Sacrificium offerri in ejus memoriam, laudes, & preces, quod officium vocant, ad eum celebrandum recitari; potest quoque depingi cum areola, & radiis micantibus, in signum gloriae, quâ fruitur, ejusque Reliquiae publicè honorari. Observat autem Georgius Cassander in Epistola praefixa hymnis, quod veteres Christiani nunquam Sanctos vocarunt *Divos*: certè Augustinus Cyprianum, quem in summo honore habuit, Beatissimum, Sanctissimum

fimum vocat, nunquam *Divum*. Et ratio videri potest: quia profani Gentiles, *Divos* vocabant *Deos*; ut Divus Apollo, Diva Minerva, juxta Vossii notata in Libro de Vitiis sermonis.

Et fuisse quidem in Ecclesia à primis saeculis Sanctorum Canonizationem, extra dubium esse, puto: nam si ex probatis, vetustissimus fuit Ecclesiae usus colendi; & invocandi Sanctos; oportuit semper extitisse chriterium aliquod, quo inter Sanctos, & non Sanctos discerneretur: itaque semper fuit cathalogus Sanctorum. Sic videmus, Hebraeos justorum memoriam coluisse, Patriarcharum scilicet, & Prophetarum. Ecclesiastici XLIV. & Paulus ad Hebraeos II. postquam dixit, *quod Sancti per Dei fidem vicerunt regna*, plura Sanctorum nomina recenset.

At non eodem semper modo, Ecclesia usa est in asserenda defuncti alicujus Sanctitate. Primis enim saeculis, per generalem quamdam consuetudinem *Canonizatio* fiebat. Martyres enim, postquam constanti passione è vivis sublati erant, religiosè colebantur: nullum quippe majus beatitudinis testimonium, dicente Christo: *Qui perdiderit animam suam propter me, inveniet eam*. Hinc S. Cyprianus Lib. III. Epist. 6. mandat, cujusque Martyris excessum ad se scribi, ut posset ejus memoriam sacrificiis celebrare, & anniversarium ei diem praescribere.

Deinde, verò glisceente hominum nequitiâ, quum & haeretici quandoque, & scele-

rati homines vulgò colerentur, ut tempore S. Martini evenisse, narrat Sulpitius Severus; coepit Ecclesia per caput suum, autoritatem interponere in decernendis alicui divinis honoribus; Canonizatio enim ad Fidei causam pertinet; causae autem Fidei sunt ex majoribus, quae Pontifici reservantur, Cap. *Majores* de Baptismo. Sic & in Gentilium superstitione, lege cautum fuerat, ne quis apud Romanos Deus haberetur, nisi Senatus Decreto, & Sententiâ confirmatus, Tertullianus in Apologetico Cap. V.: itemque de Atheniensibus tradit Samuel Petitus Lib. I. ad Jus Atticum titulo I. adversus Parmenianum: arguit Lucillam factionis Donatistarum potentem foeminam, quod veneraretur reliquias cujusdam quasi Martyris, sed nondùm vindicati, hoc est probati, & recepti.

Quantum autem ex historia colligi potest; primus, qui solemni ritù à Sede Apostolica inter Sanctos relatus, fuit Sanctus Suitbertus Werdensis Episcopus, qui primum Frisios, Hollandos, aliosque Germaniae Populos, in Christiana Fide instituit: ad preces enim Caroli Magni Canonizatus fuit à Leone III. anno 803., ut ex veteribus historicis refert Surius. Alios, alii successivè Pontifices, *Albo* Sanctorum adscripserunt, ut Sanctum Hudalricum Episcopum Augustanum, Johannes XV. anno 993.: Petrum Ananiae Episcopum, Pascalis II. anno 1110.; Hugonem Episcopum Gratianopolitanum, Innocentius II. anno 1134.: S. Bernardum; & Eduardum An-

gliae

gliae Regem, Alexander III. anno 1164., ut ex singulorum Bullis videre est.

Falsum tamen est, quod permulti Doctores existimant, praefatum Alexandrum jus canonizandi, sibi reservasse, in Cap. I. de *Reliquiis, & veneratione Sanctorum*; quum antea omnibus Episcopis id esset permissum. Falsum, inquam: species enim illius textus, ut ex Baronio colligit Gonzales, haec est. Arnulphus Lezoviensis Episcopus conquestus est apud Alexandrum, Monachos Sanctae Mariae de Gristan luxoriosam, ac nefariam vitam vivere, quod secum crebrò gladiabantur, quod seculares quibuslibet figmentis ad se alliciebant, miracula facere jactitabant, aquam certis carminibus excantatam, pro sanitatis remedio obtrudebant: ac tandem cum Monasterii Procurator ebrius, super coenam duos fratres cultro vulnerasset, ab eis incontinenti, perticâ, quam casus obtulit, occisus fuit; quem Monachi miracula affectantes, pro Martyre venerandum exposuerunt; hunc autem impium cultum, inhibet Pontifex in ea Decretali, quod in ebrietate mortuus, precibus Ecclesiae indignus habeatur, dicente Apostolo, *quod ebrii, Regnum Dei non possidebunt*. Addit praeterea, quod etsi plura per eum miracula fierent, non posset tamen publicè pro Sancto coli, absque autoritate Romanae Ecclesiae. Nulla igitur est ibi clausula, quâ Pontifex novum jus statuit, vel sibi Canonizationem reservat; sed id ad Sedem Apostolicam pertinere supponit.

Quod si alicubi legimus, Episcopos, quibusdam post mortem cultum decrevisse, ut ex loco Cypriani supracitato: unde fit, quod Sancti quidam in certis Provinciis coluntur, quum aliis Provinciis sint ignoti, ut in Concilio Florentino Sessione VII.: ajunt Latini, Simonem Metaphrastem à Graecis pro Sancto coli, cujus nulla esset memoria apud Latinos. Haec intelliguntur de Canonizatione particulari pro tali Provincia, vel Dioecesi, non de universali; ità ut in tota Ecclesia pro Sancto habeatur; quod aliis terminis ità affertur, licuisse olim Episcopis beatificare, non canonizare: beatificatio autem est permissio venerationis: Canonizatio includit praeceptum. At verò propter multiplices fraudes, quae in hac re admitti poterant, jus beatificandi ademptum est jam Episcopis, & soli Papae reservatum, licèt de tempore non constet.

Certatur autem inter Theologos, an sit Divinae Fidei articulus, talem, e. gr., canonizatum verè esse Sanctum, & gloria frui Beatorum. Qua in re triplex reperitur opinio. Prima est Melchioris Cani Lib. V. de locis Theologicis cap. 5., Cajetani, aliorumque Theologorum, & ex Canonistis eam defendit Glossa in Cap. unico *de Reliquiis, & veratione Sanctorum in sexto*, & Felinus, qui putant, Canonizationem Sanctorum non omninò ad Fidem pertinere, & ideò errori subjectam esse: quia Papa non habet ad hoc specialem, & infallibilem Spiritus Sancti assistentiam. Secunda est

Va-

Valentiae, docetque propositionem esse Fidei, Papam non posse errare in Canonizatione Sanctorum; & per consequens esse formalitèr haereticum, qui negat aliquem Canonizatum esse in consortio Beatorum. Tertia est S. Thomae Quodlibeto IX. artic. ultimo, S. Antonini, Sylvestri, Covarruviae, & aliorum existimantium, certum esse, Papam errare non posse in Canonizatione, non tamen certitudine Fidei Divinae, sed certitudine prudentiae infusae; ideoque negans alicujus Canonizati beatitudinem, licèt non esset formalitèr haereticus, esset tamen impius, temerarius, scandalosus, errorique proximus.

Ego inter primam, & tertiam sententiam, vix ullum discrimen agnosco: nam semper ac negatur, esse de Fide Divina, aliquem esse Sanctum, nullus inficiabitur, negantem Sanctum aliquem esse in gloria, esse temerarium impium, &c., saltem propter offensionem, quam fidelibus inferret: imò cum Prospero Cardinali de Lambertinis in Lib. I. *de Servorum Dei Beatif., & Beator. Canonizatione* Cap. XLV. dicendum, ne dum temerarium, sed faventem Haereticis esse, qui id neget: quum Haeretici dumtaxat, autoritatem Ecclesiae in Sanctorum Canonizatione inficientur; ac proinde assertores hujusmodi erroneae propositionis, tanquam haeresim sapientes, gravissimis poenis esse obnoxios, si assèrere auderent, *Pontificem in hac, aut illa Canonizatione errasse*; Ceterum secunda opinio mihi non probatur; nam

nam tunc Pontificis dictata infallibilia sunt, cum proferuntur ex Cathedra, hoc est, ut docti exponunt, ex Scriptura, quae à Christo vocatur *Cathedra Moysis*: quum scilicet vel generalia Scripturae verba ad aliquem sensum determinat, vel quando aliquid ex ea infert per bonam Dialecticam. At quum Sanctum canonizat, pronunciat aliquid de facto; quae autem in facto consistunt fallere semper possunt, ut notant Jurisconsulti per textum in l. 2. D. *de juris, & facti ignorantia*: factum autem Canonizationis fundatur in judicio fallibili; innititur enim depositioni testium de alicujus vita, & miraculis, nec repugnat, testes vel deceptos esse, vel deceptores: quo posito, quum factum Canonizationis, non sit ex proxima revelatione infallibile, dici nequit de Fide esse credendum.

Nec valet dicere; haec propositio universalis, de Fide est. Omnes Sancti Dei gloria gaudent, ergò & particularis, quae sub ea continetur: nam etiam de Fide est, quod omnes in Adamo peccaverunt, neque tamen de fide est, Beatam Virginem in eo peccasse.

Oppones. In Concilio Constantiensi Sess. VIII. damnatur haec propositio Wiclefi num. 44. *Augustinus*, *Benedictus*, *Bernardus damnati sunt, nisi poenituerint*, &c.: ergò qui asserit Canonizatum non esse Sanctum, est formaliter haereticus.

Respondeo, Wiclefum ibi pronunciasse, Sanctos illos fuisse damnatos, quia habuerunt

pos-

possessiones, & instituerunt Religiones; Sensus igitur propositionis est: non licere profitentibus Religionem admittere possessiones, quod est haereticum, & damnatum contra Guihelmum de Sancto Amore. Praeterea, non omnes articuli Joannis Wiclefi damnantur in Concilio, tanquam haeretici, aliqui ut scandalosi, erronei, blasphemi, piarum aurium offensivi, &c., ut expressè dicitur in fine citatae sessionis.

Denique nota, quod licet ei, qui neque Canonizatus est, neque Beatificatus, non possit cultus publicus deferri, si tamen cum Sanctitatis fama decesserit, potest ei exhiberi cultus privatus. Si enim fas est, viventes justos commendatitiis precibus, adgeniculatione, & manus osculo venerari; cur haec non permittenda ergà defunctos; quum piè creditur Dei amicos esse? adde quod in processu Canonizationis, inter alia probandus est cultus privatus, populi frequentia, & accepta per ejus intercessionem beneficia. Ceterum ex Decreto Urbani VIII., *non licet luminaria super ejus sepulcrum accendere, aut suspendere tabellas votivas; possunt tamen haec recipi, & servari, modò publicè non exponantur*. Eodem Decreto vetitum est, eorum vitas, & gesta conscribere, quum continent miracula Prophetias, vel alia supernaturalia; quod postmodum ipse Urbanus, temperamento quodam, in alio Decretó declaravit; licere cum approbatione Ordina-

debo, & subsannabo vos; & gravissime S. Augustinus in hanc rem, Sermone LVII. de Tempore: *poenitentia, quae ab infirmo petitur, infirma est: quae à moriente tantùm petitur, timeo, ne & ipsa moriatur.*

In hanc corruptelam, plura invehuntur Concilia, quae post Tridentinum habita sunt, tum in Galliis, tùm alibi. Juveninus citat Cameracensem Synodum tit. de Sanctis Cap. VI., ibi: *Doceatur populus, preces Sanctorum admodum utiles esse ad impetranda, non modò corporalia, & temporalia, sed & spiritualia, & aeterna: sed tamen abominandam esse eorum vanitatem, & superstitionem, qui certò pollicentur, non ex hac vita migraturos sine poenitentia, ac Sacramentis eos, qui hunc illumve ex Divis coluerunt, qui securitatem in rebus agendis, fortunae certum, aut optatum eventum eisdem promittunt, & si quae alia ejusmodi proferantur, & credantur: veluti illud quoque reprobandum est, si qui certo numero, praescriptaque Missarum forma aliqua, aut precum affirmant, certas, designatasque animas è Purgatorio semper liberari: invocare igitur Sanctos inutile est, nisi eorum vestigia sequamur.* S. Augustinus Serm. XXX. *Martyres honorare, & non imitari, nihil aliud est, quam mendaciter adulari.*

Quae diximus de Sanctis, intelligenda quoque sunt de Beata Virgine; licèt enim speciali cultu, qui dicitur *Hiperdulia* super omnes Sanctos sit colenda; abstinendum tamen est ab iis actibus, qui proprii sunt Divinitatis. Sit in honore Maria: Pater verò, Filius, & Spi-

ritus

ritus Sanctus, adoretur. Multa circà haec calumniantur haeretici, praesertim verò, quod in quarundam Ecclesiarum precibus, Christus Mariae subjicitur, his verbis: *Roga Patrem, jube Natum, jure Matris impera Redemptori.* Sed citantur haec ex libro Pelharti de Temsuar, qui fabulis scatet totus. Quod si usquam ità oratur, abusus est; posse autem in preces irrepere etiam, quae sint contrà Christifidem, animadvertit rectè De Neerkassel Castoriensis Episcopus, & Vicarius Apostolicus apud Batavos in suo Tractatu de *Cultu B. Mariae*; idcircò preces quotidiè emendantur, curà Sacrae Rituum Congregationis. Prodiit etiam Lovanii liber anno 1673., cui titulus: *Monita salutaria B. Mariae Virginis ad Cultores suos indiscretos*; in cujus defensionem Episcopus Tornacensis, edidit Literas Pastorales.

Non tantum autem abusum, sed Idololatriam esse, dicunt Protestantes, vota Sanctis nuncupare, quia votum, juramentum, & Sacrificium, sunt actus *Latriae*, & soli Deo debentur, ut passim in Scripturis: *Reddite vota vestra Deo*. Sed immerito ista opponuntur; respondet enim S. Thomas secunda secundae, quaest. 88. artic. 5. *Vota, quae fiunt Sanctis, vel Praelatis, includere duas promissiones, unam, quae fit ipsis, quae non est votum, sed materia voti; alteram, quae fit Deo, quae propriè votum est*; undè, quum voveo peregrinationem S. Jacobo; promissio Apostolo facta, non est votum; votum autem est promissio, quam Deo facio, de adimplenda promissione facta Apostolo. Quum enim

enim vota plerumque fiant ob acceptum beneficium; cujus autor Deus est; intercessor verò Beatus; sequitur, votum referri ad Deum, ut principium omnis boni, & hic est actus *Latriae*, ad Sanctum verò, ut intercessorem, per quem beneficium consequimur, & hic est actus *Duliae*. Plura sunt Patrum testimonia, quibus vota Sanctis nuncupantur, videnda apud Bellarminum Libro III. de Cultu Sanctorum Cap. 9.

CAPUT TERTIUM

De Canonizatione Sanctorum.

QUam Graeci *Apotheosin*, Ecclesiastici Scriptores *Canonizationem* vocant. Est autem publicum Ecclesiae testimonium de vera Sanctitate, & gloria hominis defuncti. Ex quo autem in Cathalogum Sanctorum quis relatus est, potest ei Festus dies indici, Templum Deo erigi, vel Sacrificium offerri in ejus memoriam, laudes, & preces, quod officium vocant, ad eum celebrandum recitari: potest quoque depingi cum areola, & radiis micantibus, in signum gloriae, quâ fruitur, ejusque Reliquiae publicè honorari. Observat autem Georgius Cassander in Epistola praefixa hymnis, quod veteres Christiani nunquam Sanctos vocarunt *Divos*: certè Augustinus Cyprianum, quem in summo honore habuit, Beatissimum, Sanctissimum

simum vocat, nunquam *Divum*. Et ratio videri potest: quia profani Gentiles, *Divos* vocabant *Deos*; ut Divus Apollo, Diva Minerva, juxtà Vossii notatà in Libro de Vitiis sermonis.

Et fuisse quidem in Ecclesia à primis saeculis Sanctorum Canonizationem, extra dubium esse, puto: nam si ex probatis, vetustissimus fuit Ecclesiae usus colendi, & invocandi Sanctos; oportuit semper extitisse chriterium aliquod, quo inter Sanctos, & non Sanctos discerneretur: itaque semper fuit cathalogus Sanctorum. Sic videmus, Hebraeos justorum memoriam coluisse, Patriarcharum scilicet, & Prophetarum. Ecclesiastici XLIV. & Paulus ad Hebraeos II. postquam dixit, *quod Sancti per Dei fidem vicerunt regna*, plura Sanctorum nomina recenset.

At non eodem semper modo, Ecclesia usa est in asserenda defuncti alicujus Sanctitate. Primis enim saeculis, per generalem quamdam consuetudinem *Canonizatio* fiebat. Martyres enim, postquam constanti passione è vivis sublati erant, religiosè colebantur: nullum quippe majus beatitudinis testimonium, dicente Christo: *Qui perdiderit animam suam propter me, inveniet eum*. Hinc S. Cyprianus Lib. III. Epist. 6. mandat, cujusque Martyris excessum ad se scribi, ut posset ejus memoriam sacrificiis celebrare, & anniversarium ei diem praescribere.

Deindè verò glíscente hominum nequitiâ, quum & haeretici quandoque, & scele-

rati homines vulgò colerentur, ut tempore S. Martini evenisse, narrat Sulpitius Severus; coepit Ecclesia per caput suum, autoritatem interponere in decernendis alicui divinis honoribus; Canonizatio enim ad Fidei causam pertinet; causae autem Fidei sunt ex majoribus, quae Pontifici reservantur, Cap. *Majores* de Baptismo. Sic & in Gentilium superstitione, lege cautum fuerat, ne quis apud Romanos Deus haberetur, nisi Senatus Decreto, & Sententiâ confirmatus, Tertullianus in Apologetico Cap. V.: itemque de Athenienfibus, tradit Samuel Petitus Lib. I. ad Jus Atticum titulo I. adversus Parmenianum: arguit Lucillam factionis Donatistarum potentem foeminam, quod venerararetur reliquias cujusdam quasi Martyris, sed nondùm vindicati, hoc est probati, & recepti.

Quantum autem ex historia colligi potest; primus, qui solemni ritù à Sede Apostolica inter Sanctos relatus, fuit Sanctus Suitbertus Werdensis Episcopus, qui primum Frisios, Hollandos, aliosque Germaniae Populos, in Christiana Fide instituit; ad preces enim Caroli Magni Canonizatus fuit à Leone III. anno 803., ut ex veteribus historicis refert Surius. Alios, alii, successivè Pontifices, *Albo* Sanctorum adscripserunt, ut Sanctum Hudalricum Episcopum Augustanum, Johannes XV. anno 993.: Petrum Ananiae Episcopum, Pascalis II. anno 1110.; Hugonem Episcopum Gratianopolitanum, Innocentius II. anno 1134.: S. Bernardum; & Eduardum An-

gliae Regem, Alexander III. anno 1164., ut ex singulorum Bullis videre est.

Falsum tamen est, quod permulti Doctores existimant, praefatum Alexandrum jus canonizandi, sibi reservasse, in Cap. I. de *Reliquiis, & veneratione Sanctorum*; quum antea omnibus Episcopis id esset permissum. Falsum, inquam: species enim illius textus, ut ex Baronio colligit Gonzales, haec est. Arnulphus Lezoviensis Episcopus conquestus est apud Alexandrum, Monachos Sanctae Mariae de Gristan luxoriosam, ac nefariam vitam vivere, quod secum crebrò gladiabantur, quod seculares quibuslibet figmentis ad se alliciebant, miracula facere jactitabant, aquam certis carminibus excantatam, pro sanitatis remedio obtrudebant: ac tandem cum Monasterii Procurator ebrius, super coenam duos fratres cultro vulnerasset, ab eis incontinenti, perticâ, quam casus obtulit, occisus fuit; quem Monachi miracula affectantes, pro Martyre venerandum exposuerunt; hunc autem impium cultum, inhibet Pontifex in ea Decretali, quòd in ebrietate mortùus, precibus Ecclesiae indignus habeatur, dicente Apostolo, *quod ebrii, Regnum Dei non possidebunt*. Addit praeterea, quod etsi plura per eum miracula fierent, non posset tamen publicè pro Sancto coli, absque autoritate Romanae Ecclesiae. Nulla igitur est ibi clausula, quâ Pontifex novum jus statuit, vel sibi Canonizationem reservat; sed id ad Sedem Apostolicam pertinere supponit.

T 2 Quod

Quod si alicubi legimus, Episcopos, quibusdam post mortem cultum decrevisse, ut ex loco Cypriani supracitato: unde fit, quod Sancti quidam in certis Provinciis coluntur, quum aliis Provinciis sint ignoti, ut in Concilio Florentino Sessione VII.: ajunt Latini, Simonem Metaphrastem à Graecis pro Sancto coli, cujus nulla esset memoria apud Latinos. Haec intelliguntur de Canonizatione particulari pro tali Provincia, vel Dioecesi, non de universali; ità ut in tota Ecclesia pro Sancto habeatur; quod aliis terminis ità affertur, licuisse olim Episcopis beatificare, non canonizare: beatificatio autem est permissio venerationis: Canonizatio includit praeceptum. At verò propter multiplices fraudes, quae in hac re admitti poterant, jus beatificandi ademptum est jam Episcopis, & soli Papae reservatum, licèt de tempore non constet.

Certatur autem inter Theologos, an sit Divinae Fidei articulus, talem, e. gr., canonizatum verè esse Sanctum, & gloria frui Beatorum. Qua in re triplex reperitur opinio. Prima est Melchioris Cani Lib. V. de locis Theologicis cap. 5. Cajetani, aliorumque Theologorum, & ex Canonistis eam defendit Glossa in Cap. unico *de Reliquiis, & veratione Sanctorum in sexto*, & Felinus, qui putant, Canonizationem Sanctorum non omninò ad Fidem pertinere, & ideò errori subjectam esse: quia Papa non habet ad hoc specialem, & infallibilem Spiritus Sancti assistentiam. Secunda est

Va-

Valentiae, docetque propositionem esse Fidei, Papam non posse errare in Canonizatione Sanctorum; & per consequens esse formalitèr haereticum, qui negat aliquem Canonizatum esse in consortio Beatorum. Tertia est S. Thomae Quodlibeto IX. artic. ultimo, S. Antonini, Sylvestri, Covarruviae, & aliorum existimantium, certum esse, Papam errare non posse in Canonizatione, non tamen certitudine Fidei Divinae, sed certitudine prudentiae infusae; ideoque negans alicujus Canonizati beatitudinem, licèt non esset formalitèr haereticus, esset tamen impius, temerarius, scandalosus, errorique proximus.

Ego inter primam, & tertiam sententiam, vix ullum discrimen agnosco: nam semper ac negatur, esse de Fide Divina, aliquem esse Sanctum, nullus inficiabitur, negantem Sanctum aliquem esse in gloria, esse temerarium impium, &c., saltem propter offensionem, quam fidelibus inferret: imò cum Prospero Cardinali de Lambertinis in Lib. I. *de Servorum Dei Beatif., & Beator. Canonizatione* Cap. XLV. dicendum, nedum temerarium, sed faventem Haereticis esse, qui id neget: quum Haeretici dumtaxat, autoritatem Ecclesiae in Sanctorum Canonizatione inficientur; ac proinde assertores hujusmodi erroneae propositionis, tanquam haeresim sapientes, gravissimis poenis esse obnoxios, si assèrere auderent, *Pontificem in hac, aut illa Canonizatione errasse*; Ceterum secunda opinio mihi non probatur; nam

nam tunc Pontificis dictata infallibilia sunt, cum proferuntur ex Cathedra, hoc est, ut docti exponunt, ex Scriptura, quae à Christo vocatur *Cathedra Moysis*: quum scilicet vel generalia Scripturae verba ad aliquem sensum determinat, vel quando aliquid ex ea infert per bonam Dialecticam. At quum Sanctum canonizat, pronunciat aliquid de facto; quae autem in facto consistunt fallere semper possunt, ut notant Jurisconsulti per textum in l. 2. D. *de juris, & facti ignorantia*: factum autem Canonizationis fundatur in judicio fallibili; innititur enim depositioni testium de alicujus vita, & miraculis, nec repugnat, testes vel deceptos esse, vel deceptores: quo posito, quum factum Canonizationis, non sit ex proxima revelatione infallibile, dici nequit de Fide esse credendum.

Nec valet dicere; haec propositio universalis, de Fide est. Omnes Sancti Dei gloria gaudent, ergò & particularis, quae sub ea continetur: nam etiam de Fide est, quod omnes in Adamo peccaverunt, neque tamen de fide est, Beatam Virginem in eo peccasse.

Oppones. In Concilio Constantiensi Sess. VIII. damnatur haec propositio Wiclefi num. 44. *Augustinus, Benedictus, Bernardus damnati sunt, nisi poenituerint, &c.*: ergò qui asserit Canonizatum non esse Sanctum, est formaliter haereticus.

Respondeo, Wiclefum ibi pronunciasse, Sanctos illos fuisse damnatos, quia habuerunt

pos-

possessiones, & instituerunt Religiones; Sensus igitur propositionis est: non licere profitentibus Religionem admittere possessiones, quod est haereticum, & damnatum contra Guihelmum de Sancto Amore. Preterea, non omnes articuli Joannis Wiclefi damnantur in Concilio, tanquam haeretici, aliqui ut scandalosi, erronei, blasphemi, piarum aurium offensivi, &c., ut expressè dicitur in fine citatae sessionis.

Denique nota, quod licet ei, qui neque Canonizatus est, neque Beatificatus, non possit cultus publicus deferri, si tamen cum Sanctitatis fama decesserit, potest ei exhiberi cultus privatus. Si enim fas est, viventes justos commendatitiis precibus, adgeniculatione, & manus osculo venerari; cur haec non permittenda ergà defunctos; quum piè creditur Dei amicos esse? adde quod in processu Canonizationis, inter alia probandus est cultus privatus, populi frequentia, & accepta per ejus intercessionem beneficia. Ceterum ex Decreto Urbani VIII., *non licet luminaria super ejus sepulcrum accendere, aut suspendere tabellas votivas; possunt tamen haec recipi, & servari, modò publicè non exponantur*. Eodem Decreto vetitum est, eorum vitas, & gesta conscribere, quum continent miracula Prophetias, vel alia supernaturalia; quod postmodum ipse Urbanus, temperamento quodam, in alio Decretó declaravit; licere cum approbatione Ordina-

dinarii, & adjecta protestatione autoris: cujus formula ibidem descripta est, ut narratis Fides, non nisi mere historica, etiam futuro tempore habeatur.

FINIS.